
J. Wandal.
Prodromus
concordiæ propheticæ
evangelicæ.
Hafn., 1683.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

1,-161 b/I
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01155 4
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

CONCORDIÆ PROPHETICO-EVANGELICÆ PRODROMUS

de

PROPHETIS

ET

PROPHETIIS.

Qvem, DEO OPT. MAX. auſpicante,

Venerando Conſesſui

Nob. & Ampl. Reg. Acad. Profeſs.

publicè examinandum

ſiſtit

JOHANNES WANDALINUS F.

SS. Theol. & Ebr. Ling. Prof. P.

Reſpondente

SEVERINO PETRI GLUDIO

Ph. Bacc.

In Aud. Sup. hor. antemerid.

ad diem XXIII. Junii.

1493

HAFNIÆ Typ. *Joh. Phil. Bockenhoffer* Reg. Maj. & Univerſit. Typogr. ANNO MDC.LXXXIII.

CH

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

In eruditâ hac Diſſertatione, qva Sacrum Prophetarum ordinem, eorumq́; prærogativas ac diſcrimina, tam a deliriis Rabbinorum, qvam ab inſenſata rabie & impurô Montaniſtarum genio rectè ſatis ac ſolidè vindicat Clariſſimus Prophetiæ Candidatus, Magni qvondam Prophetæ Filius, ita omnino Spiritum ac indolem prodidit verè Propheticam, ut penè cum R. Salomone crederem eſſe Prophetiam donum aliqvod hæreditarium. Dumq́; ita innocenter his partibus defunctus eſt, & ſe charactere Prophetico, & hunc Prodromum typis publicis dignum fecit. Hafn. die XV. Maji Anno M.DC.LXXXIII.

J. BAGGERVS D.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

Juvet I. X. Θ. Υ. Σ.

Divina meditanti, qvorum, ſi myſteria ſpectas, abyſſum ſuperare nulla ætas nullum ingenium valuit, ſemper monitum obverſatur D. Auguſtini *iu Evang. Joh. c. II, tr. 9: Lege libros omnes Propheticos, non intellectô Chriſto, qvid tam inſipidum aut fatuum invenies; intellige ibi Chriſtum, non ſolùm ſapit qvod legis, ſed & inebriat :* Germanum eſt illud Bernhardi de Chriſto, *Serm. 15. in Cant. Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleô iſto infunditur; inſipidus eſt, ſi non hôc ſale conditur, ſi ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi JEſum, ſi diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi JEſus.* Fruſtra omnis labos absq; hoc fructu : longè omnis ſapientiæ curſus niſi ad hanc metam. Hunc ſpiritu inveſtigare gaviſi Patres, hunc intueri propius deſiderant Angeli; in hoc ita totus, qui Cœleſti penè Academiæ vicinus, inenarrabilia ſupraq; mortalem conditionem poſita acceperat, ut præter Eum nihil ſe ſcire fateatur. 1. Cor. II. 2. 2. Cor. XII. 2. 3. 4. Et ô utinam magna qvondam Chriſt. Reip. Nomina, dum fub ſpecie altioris indaginis, circa tricas Scholaſticas & ſuperfluas κρίσεις breve conſumſerunt ævum, & animum cum corpore fregerunt, ut curioſum illud εὕρηκα ſibi vendicarent, ſoli de Chriſto ſalutari doctrinæ addicta fuiſſent, & cum Philippo gloriari potuiſſent, *qvem Moſes in Lege & Prophetæ deſignarunt,* εὑρήκαμεν Ἰησοῦν Joh. I. 46. Deus bone! qvàm pulchrè tùm actum fuiſſet de Eccleſiâ? qvot mōnſtra opinionum, qvæ errorum portenta, non dicam denata, ſed & non nata fuiſſent? qvæ contentiones, qvanta ſchiſmata, qvot hæreſes vel ſuppreſſæ ante ortum, vel proximè in cunis oppreſſæ concidiſſent? Nunc, cum tam luctuoſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

ſitEccleſiæ facies,tamq;diſciſſa in partes inconſutilis tunica Chriſti, nondum remedia adhibemus vulneri? nondum a parergis abſtinemus manus, ut ex ſolis Iſraelis fontibus afflictæ familiæ Chriſti profuturum ad ſalutem propinemus hauſtum? Proh Scelus! hanc peſtem averruncet e noſtro conſortio Deus! Qvantò enim majore cum fructu olim, defixis in æneum ſerpentem oculis animi corporisq; Gens Iſraelitica adverſus venenatos ſanata morſus reconvaluit; tantò eqvidem & nunc certiore ſpe ædificandæ Eccleſiæ & reducendæ ad ovile Chriſti Judæorum Nationis, (quæ toto propemodum orbe palabunda,unicam ſalutis viam,damnoſâ incredulitate ignorat, dumq; Meſſiam ſuum quotidie exſpectat,in Scholis & Eccleſiis Chriſtianorum vixdum invenit) Doctrinam de Chriſto Ejusq; officio & beneficiis, ex ipſis Prophetarum Oraculis,& antiqui Fœderis typis evolutam proponemus: Usqvedum fiat aliqvando,cum DEo viſum, ut καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τȣ̃ υἱȣ̃ τȣ̃ Θεȣ̃ Eph. IV. 13. Nam neq; de Judæorum reſtitutione omnis penitus ſpes concidiſſe putanda; qvamvis etiam nunc lentem edant hodie, & amiſſam defleant primogenituram. Forſan aderit tempus,cum in rectam ſemitam reducentur. Nondum omnium occiderunt ſoles dierum. Cecidiſſe Eos vecordiâ ſua, at non excidiſſe omninò credimus. Quis enim tempus noverit mentium Eorum ſanitati deſtinatum, Ezech. XXXVI. 26. 27? qvando velamen Moſis revolvetur a cordibus Ipſorum 2. Cor. XIII. 15.16, Novimus immenſam DEi, nulliſq; ſeculis terminandam potentiam. Et adhuc fortè, poſt longas vindictæ pænas, ad miſeram Gentem reſpicient σπλάγχνα ἐλέȣς Θεȣ̃ ἡμῶν. Eorum ergo de μετανόιᾳ quis deſperabit amplius, non deſperante Gentium Apoſtolo Rom. XI. 23. Qvod cum dico tamen,non univerſalitet loquor,ſed de magnâ Judæorũ parte,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

te. Interim, dum arcana hic Divina ſcrutari nefas, ſaltem ſcripturarum, qvas ipſi nobis miniſtrârunt, lucem, ut noſtrâ opera Ipſis affulgeat, non invideamus.

I. Qvocirca noſtri qvoq; muneris hoc eſſe credimus, ut, Theologica cum Philologicis Sacris ex Regio mandato publicè tractaturi, hanc de Meſſiâ noſtro materiam ampliſſimam, utiliſſimam, ſacratiſſimamq; ſeligamus: in qva & ingenium & operam non infructuoſè exercitaturos nos confidimus, modò id fiat diligenti & juſtâ, nec tamen nimis ſcrupuloſâ, τῶν γραφῶν ἐξερευνήσει. Qvam qvidem hâc methodo inſtituendam promittimus: ut, diviſo in duas partes opere, primò de *Vaticiniis* agamus, inde de *Typis*: de illis tantùm qvatenus τῷ Χριςῷ μαρτυρᾶσι Act. X. 43. de his, qvoniam in ſe habuere σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν Ebr. X. 1. qvæ per Chriſtum credentibus obtigerunt. Et ſingula hæc certè eximia ſunt, *tum* ad convincendos Verpos modernos, tota & regione & religione ſuâ extorres; ſi Eorundem fortè adhuc reſpiciat opprobria Numen, & *impietatem* contumaciamq; *avertat* ὁ ἐκ Σιὼν ῥυόμενος Rom. XI. 26. Eſ. LIX. 20. *tum* qvoq; ad confirmandos in fide Chriſtianos; qvorum in præcordiis creſcet dulceſcetq; doctrina ſalutis, tot Vet. Patriarcharum, Prophetarum, Doctorum Eccleſiæ teſtimoniis παναρμόςως comprobata. Ubi, collatis cum Evangelico ſtatu, diverſis non re, ſed tempore & modo Fœderibus Antiqvis, Patriarchali & Moſaico, adverſus Photinianos alioſq; iſtius lolii complices, eandem patebit fuiſſe ſalutis viam & illis & nobis, eundem per omnia Chriſtum JEſum χθὲς καὶ σήμερον καὶ εἰς τὰς αἰῶνας Ebr. XIII. 8. Idem qvoqve & unum omnium Prophetarum os Luc. I. 70. & omnem Scripturam eſſe unum librum Ebr. X. 7. Qvæ harmonia fateri impulit Theophilum Antioch. *ſe convictum ex iis qvæ evenerunt & prædicta fuerunt non amplius hæſitare. Lib. I. ad Autolyc.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

II. Cæterùm utrumq; inſtituti hujus penſum, certis claſſibus, juxta commodiſſimum ordinem Articulorum fidei de Chriſto Θεανθρώπῳ, Perſona Ejus, officiis, & beneficiis, diſpeſcemus. Et primò qvidem Ebræum Vet. Teſt. fontem cum Nov. Teſt. græco ubiq; conferemus. 2. Qvæ in Textuum ipſorum ἐπιλύσει occurrunt ſive veterum ſive recentiorum Interpretum hallucinationes, modeſtè examinabimus. 3. Conſulemus Judæorum Magiſtros, ſi qui vel ante, vel poſt Chriſtum ſaniora amplexi ſunt: ita ut rejectis Eorum lyris, ſpuriisq; commentis, ea tantum in rem noſtram vertamus, qvæ ad literam Scripturæ propius accedunt ſenſumq; naturalem. 4. Adverſariorum tela, qvibus hanc de Chriſto doctrinam, vel directè, vel indirectè oppugnant, τῇ τοῦ πνεύματος τομοτέρᾳ μαχαίρᾳ infringemus. 5. Qvæ ad uſum ſpectant tum προπολεμικὸν, tum qvoq; ἀναγωγικὸν ſuccinctè evolvemus, Atq; hæc ita ordine perſeqvemur deinceps, ſi vitam facultatemq; DEus indulgeat. At anteqvam ad ipſa Prophetarum Oracula, primâ Operis parte exponenda, accedimus; hic primò in anteceſſum, παρασκευαστικὸν καὶ εἰσαγωγικὸν præmittere de *Prophetis & Prophetiis* diſcurſum, operæ pretium duximus: ut & pateat, qvanta ſit eorundem Oraculorum, DEum habentium Avtorem, Majeſtas; & qvibus mediis, qva ratione, qvot gradibus benigniſſimum Numen, ex æternâ ſuâ φωτὸς ἀπροσίτου καὶ δόξης ἀνεκλαλήτου ſede deſcendens cognitionem voluntatis ſuæ καὶ εὐδοκίας τοῦ θελήματος αὐτοῦ de ſalvandis in Filio ſuo mortalibus, ſub Antiqvo fædere diſpenſaverit. DEum interea omnis boni fontem in nomine JEſu devotè precamur, ut per Spiritum ſuum S. ipſe mentibus noſtris immittat divinæ Veritatis ſuæ radios, qvibus illuſtrati Ejus in terris viam interq; omnes Gentes σωτήριον unicum piè cognoſcamus. Amen!

III. Acturis igitur hâc vice de divinô in V. T. revelandæ huma-

humano generi ſalutis modo, qvem *Prophetiam* dicimus, omnium primò occurrit vocis ὀνοματολογία, certis ex Plat. *in Gorgiâ*: ὅτι ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, ut & ex Epicteto Sapiente: ἀρχὴν παιδεύσεως εἶναι τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν. Atq; hic diverſa reperio in S. literis nomina & appellationes συνωνύμους, qvæ idem officium, ut ut non eôdem reſpectu, deſignant. Freqventiſſima eſt illa נָבִיא, inde חֹזֶה & רוֹאֶה *Videns* 2. Par. XIX. 2. 1. Sam. IX. 9. מַטִּיף vates, qvaſi *ſtillatorem* diceres Mich. II. 11. צוֹפֶה *Speculator* Ezech. III. 17. מַלְאָךְ *Angelus, Legatus* Hagg. I. 13. Tum qvoq; περιφραστικῶς אִישׁ הָאֱלֹהִים *Vir DEi*, ſ. inſpiratus a DEo ad prophetandum, 2. Reg. XXIII. 16. אִישׁ הָרוּחַ *Vir Spiritus*, ſ. Spiritum habens Propheticum Oſ. IX. 7. אִישׁ מִתְנַבֵּא *Vir Propheticus*, ſ. Fatidicus Jerem. XXVI. 20. Qvibus addi poteſt titulus יוֹעֵץ *Conſiliarius*, uti Prophetam deſcribere videtur Eſaias c. I. 26. Maternam qvoq; hic lingvam dedicere filiæ Chald. נְבִיא & נְבִיאָה, Syr. ܢܒܝܐ, Arab. نَبِيٌّ & نَبِيٌّ, Æthiop. *Nabijy*. Græcis eſt Προφήτης, & inde Latinis *Propheta* ſeqvioris ævi Scriptoribus & Eccleſiaſticis, ſed purius *Vates* qvaſi *Fates* (forſan a Gr. φάτης ap. Heſych. *loqvutulejus, loqvax*, per κατάχρησιν pro *fatidico*:) qvòd futura *faretur*, ſive *fata* prædiceret, docente Perotto: qvamvis alienius ſit qvod mox ſubjungit, *vel a verſibus viendis ſive connectendis*, eo qvòd ſolerent *afflati Numine Divino verſibus contextis futura prædicere*, *Corn. Cop.* col. VIII. 53. Sed a Romano foro revertamur ad noſtrum. Vulgatiſſimum iſtud נָבִיא eſt a rad. inuſit. נָבָא, qvæ in Niph. נִבָּא *prophetavit, vatici-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

ticinatus eſt, *prædixit*, *pronunciavit*, *indicavit* , eandem ſignificationem obtinet in Hithpael הִתְנַבֵּא. Qvare non ſapit demorſos ungves temeraria criſis L. Danæi in *Proleg. ad Proph. min.* qvam deſumſit ex Schindlero in *Lex.* qvòd hoc verbum *in Niph. ſignificet acceptionem Prophetiæ a DEo & mandatum loqvendi ad alios: in Hithp. autem uſurpetur ferè de Prophetia falſâ ſeu fictitiâ, pro natura iſtius Conjugationis.* Longè aliter eſt: in utramq; enim partem ſumitur utraq; Conjugatio. Pro falſâ aliqvando Niphal; Exemplum eſto Jer. XX.6. ubi de Paſchchure Pſeudo-Propheta: נִבֵּאתָ לָהֶם בַּשָּׁקֶר *Vaticinatus es illis falſò.* Item c. XXIX. 8. 9. 21. bis de Impoſtoribus Achabo Kolajæ f. & Zidkiâ Mahaſejæ: הַנִּבְּאִים לָכֶם בִּשְׁמִי שָׁקֶר & poſt v. 23. וַיְדַבְּרוּ דָבָר בִּשְׁמִי שֶׁקֶר אֲשֶׁר לֹא צִוִּיתִים. Pro vera & genuinâ plerumq; adhibetur Hithpael, ut Jer. XXVI. 20. אִישׁ הָיָה מִתְנַבֵּא בְּשֵׁם יְהוָה ſc. Uria f. Schemahjæ, de qvo mox ſeqvitur in eôd. v. וַיִּנָּבֵא כְּכֹל דִּבְרֵי יִרְמְיָהוּ. Conf. 2. Par. XVIII. 7. Jer. XXIX. 26. & alia paſſim. Qvanqvam non negandum κρίσεως iſtius Schindlerianæ Autorem longè ante, de Conj. Niphal exſtitiſſe Kimchium in *Lib. Radic.* בא הענין הזה בלשון נפעל לפי שענינו קבול הנבואה מהאל *eam eſſe ſignificationem Conj. Niphal, ut ſignificet acceptionem prophetiæ a DEo.* De Hithpaël verò in malam ferè partem accipiendo nihil apud eundem Grammaticum. Cæterùm in Vocis נביא derivatione miror tam apertè hallucinatum Jarchium, (qvo nomine hic & deinceps liceat mihi cum pleriſq; Philologis appellare רבי שלמה יצחקי ſ. R. Salomonem Iſacidem, de qvo R. Abr. Zachuth *in Juchaſ.* & R. Gedalias in *Schalſch. Hakkab.* Spurium enim eſt iſtud *Jarchii* cognomen, & cum Judæis ignotum, tum apud Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

Chriſtianos, ut videtur, natum ex confuſione nominum Salomonis Iſacidis & Samuelis Jarchinai, qvæ per ראשי תיבות ambo ſcribuntur רשי. Vid. *Juchaſ.&Schalſchel.* Et qvia uterq; Rabbinus Aſtronomiæ ſcientiſſimus, qvod præter hiſtoriam *Juchaſin*, indicat nomen ירח׳נאה ſeu *Lunatici* inde facilis error ex paritate perſonarum:) ut præter Grammaticam ἐτυμολογίαν a rad. נוב eam deducat in *Exod. VII.* 1. Verba Ejus: כל לשון נבואה אדם המכריז ומשמיע לעם דברי תוכחות והוא מגזרת נוב שפתים׳ ינוב חכמה״ ויכל מהתנבות דשמואל ובלעז קורין לו פרידיג׳ר i. e. *Prophetam ubiq; dici de Præcone, & de eo qvi pro concione ad populum vitia reprehendit: namq; deſcendere a rad.* נוב, *cujus duo ſignificata.* 1. *abundè proferre Prov.* X. 31. כִּי צַדִּיק יָנוּב חָכְמָה 2. *prophetare* 1. *Sam.* X. 13. וַיְכַל מֵהִתְנַבּ׳, *adeoq; in lingva Germ. dici* Prediger. Qvem Jarchii errorem facile refellimus verbis Socienni Aben-Ezræ *Piruſch. in eund. locum*: האומרי׳ כי נביא מגזרת נוב שפתים איננו נכון כי שורש נוב מהשניי׳ לפי דעת חכמי צרפת ומעולמי העין לפי דעת חכמי ספרד ושרש נביא שלוש אותיות id eſt: *Qvi volunt* נביא *eſſe a rad.* נוב *duplicis ſignificati. verbo, falluntur: radix enim* נוב *eſt duplicata, ut docent Gallici Magiſtri, vel qvieſcens ſecundâ rad. ad mentem Doctorum Hiſpaniæ: at verò rad.* & נביא *eſt trium radicatium.* Qvod evincit multis Scripturæ locis, & mox veram vocis ſubnectit ſignificationem, רק פירושו הוא נביא שאגלה לו סודי כדרך כי אם גלה סודו אל עבדיו הנביאים *Non eſſe* ſc. *dicendum* נביא *niſi cui Deus ſua arcana revelaverit; ita enim haberi Amoſ. III. 7. Qvoniam revelavit arcanum ſuum ſervis ſuis.* Ultimum hoc rectè qvidem Ab. Ezra, niſi qvod æſtu diſputationis abreptus diſſimulaverit latiorem vocis ſenſum. Cum enim נבא ſumatur, ut dixi, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

pro myſteriorum revelatione & pro revelatorum interpretatione, qvid mirum dici נְבִיאִים & προφήτας, non ſolùm oraculorum & ſecretorum Divinorum internuncios, ſed & eorundem explicatores & elocutores. Qvo nomine identidem veniunt, qvi ſacta tractant laudesq; divinas in publico cætu deprædicant; qvales fuere olim Cantores in Templo, qvi Prophetarum titulo ornantur 1. Par. XXV. & alibi. Qvod autem non pauci Cantorum primariô ſenſu ſic denominentur infra monſtrabimus. Sic & præter Moſen omnes Canonici V. T. Scriptores à Chriſto προφῆται appellantur Luc. XXIV. 27. Sic Aaron Propheta Moſis Ex. VII. 1. cujus rei ratio aperta c. IV. 16. *Loqveris ipſe ad Eum, & inſeres verba mea in os Ejus. Nam alloqvetur ipſe pro te populum, eritq; ipſe tibi vice oris, &c.* qvaſi dicat: erit Aaron tuus ὑποφήτης; ſunt enim ὑποφῆται Prophetarum interpretes Pindaro & Homero Autoribus. Nam & Libri Hiſtorici ſub נבואה titulo veniunt, ut ad Ebræorum mentem, ſic & ipſius Scripturæ 2. Par. IX. 29.

VI. Qvæ verò apud Scriptorem Apocryphum Eccleſiaſticum de prophetiâ oſſium Joſephi c. XLIX. 18. & Elizæi c. XLVIII. 14. memorantur, ſaltem metonymicè intelligenda, qvod in iis DEUS miracula, ſveta Prophetis τεκμήρια, ediderit. Qvorum hic obiter noto poſterius in Canone exſtare 2. Reg, XIII. 21. Priùs autem illud eſſe, qvod in Rabbinico opere דברי הימים ופטירתו של מרע״ה (nullius qvidem autoritatis, ſed maximæ antiqvitatis ſcripto, qvod ſuâ operâ non indignum duxit doctiſſ. Gaulmyn.) traditur: nempe educturum Ægypto Ebræos Moſen, Joſephi corpus fruſtra qvæſiviſſe: tandem a Sarâ qvadam filia Aſer monitum, ſtare in proximo Nili flumine demerſum ejus cippum plumbeum, idq; Ebræorum invidiâ Ægyptios factitaſſe.

Tum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

Tum Moſen e fluminis ripa Joſephum bis inclamâſſe, ut ſe Genti ſuæ exitum paranti proderet, atq; ex aqvis emergeret, *nec mora* מיד התחיל ארונו מנענע ועולה מתהומות כקנה נטלו משה ושם אותו על כתפו *Joſephi cippus undis, cannæ inſtar, innatabat, qvem Moſes propriis exceptum humeris avehebat*. Atq; hoc iſtud miraculum eſt, qvod ὡς ἐν παρόδῳ ex Autore fabuloſo producere in medium libuit. In N. Teſt. codice non ipſe duntaxat Chriſtus Προφήτης Matth. XXI. 11. Προφήτης μέγας Luc. VII. 16. & alibi, qvem Moſes venturum prædixerat Deut. XVIII. 15. appellatur, ſed ejus qvoq; primi Diſcipuli, qvotqvot ſpeciali futura prædicendi dono inclaruere, cujus exempla vid. Act. XIII. 1. XXI. 10. Conf. 1. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. Hujus autem miraculi veſtigia ſuô tempore, id eſt ſeculô tertio ineunte, ſuperfuiſſe docet Origenes *cont. Celſum l. 1.* Καὶ ἔτι ἴχνη τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὀφθέντος ἐν εἴδει Περιστερᾶς, παρὰ Χριστιανοῖς σώζεται, ἐξεπᾴδουσι δαίμονας, καὶ πολλὰς ἰάσεις ἐπιτελοῦσι, καὶ ὁρῶσί τινα, κατὰ τὸ θέλημα τοῦ λόγου, περὶ μελλόντων, *prævident voluntate DEi futura*, ut ultima verba ad ſenſum vertit Gu. Spencerus. Tandem & ii, qvi nullô extraordinario vaticinandi munere inſtructi Verbum DEi in Eccleſia docebant 1. Cor. XIV. 29. 32. Προφῆται dicti: ſic Act. XV. 32. & alibi crebrò. Cujus rationem ita Ambroſius aperit: *Sicut Propheta futura prædicit, qvæ neſciuntur, ita & Doctor Eccleſiæ, dum Scripturarum ſenſum, qvi multis occultus eſt, manifeſtat, dicitur prophetare.*

V. Qvin & ad τοὺς ἔξω fluxit hæc appellatio, Apoſtoli voce Tit. I. 12. Epimenidem ἴδιον Cretenſium Προφήτην deſignante. Eum enim h. l. indigitatum omnes ferme Eruditi conſentiunt, unum ſi exceperis Ambroſium, qvi (obſervante Cl. Eſpencæo in l. c.) putavit *qvendam ex Cretenſibus per dominicam diſciplinam melioratum, qvid ſentiendum eſſet de Cretenſibus, expreſſiſſe*. Qvæ autem cauſa fuerit, qvod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

Eum Prophetam nominet Paulus, nondum ſatis liqvet. Id liqvet, Poëtam fuiſſe, ſ. ἐποποιὸν *Verſificatorem*, enumerantibus opera Ejus Svidâ & Diog. Laërtio. Quidam volunt per jocum ita dici ab Apoſtolo; nonnulli propter oracula, qvæ ſcripſiſſe putatur: alii per ironiam, ad qvos accedit Heinſius *Exerc. Sac. p.528. cum non tam de Cretenſibus ſimpliciter, qvàm de Judæis, qvi in Cretâ, aut Cretenſibus Judaizantibus hic Apoſtolus agat, eleganter more Judæorum, non Poëtam, non Philoſophum, ſed Prophetam videtur dixiſſe.* De oraculis qvæ ſcripſerit, neſcio an certa res ſit, licèt ita traditum ab Hieronymo. Svidas: ἔγραψε δὲ πολλὰ ἐθικῶς μυστήρια, καὶ καθαρμὸν δὲ καὶ ἄλλα αἰνιγματώδη. Scio tamen Dion. Chryſoſtomo *Prophetam*, Platoni θεῖον, *Theologum* Diod. Siculo audire, & Apulejo *Fatidicum*. Sed hæc fuſiùs Commentatores. Laërtius de Eô: φασὶ γὰρ καὶ γνωστικώτατον γεγονέναι, *in Vita ipſius*. Plutarchus *in Vit. Solon.* Edit. Pariſ. p. 84. θεοφιλὴν, σοφὸν περὶ τὰ θεῖα τὴν ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν. Item: παῖδα Νύμφης, ὄνομα Βάλτης, καὶ κούρητα νέον προσαγορευθέντα meminit: ubi *Curetas* Cretæ incolas cum Diod. Siculo *Jovis filios*, cum Euripide, *in fab. Bacchis*, Διογενέτορας *Jove genitos* intelligo, de qva re prolixè Meurſius *Deſcript. Cret. Lib. I. c. 4. & Lib. III. c. 1.* Propheticum tamen titulum Cnoſio invidet Ariſtoteles, qvi *Rhet. l. III. c. 17.* Ἐκεῖνος, ait, περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύσατο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων, ἀδήλων δέ. Ita hic de Epimenide arcana res, & qvod in proverbio eſt: *Epimenidis cutis.* Qvicqvid ſit, non rarũ apud Ethnicos Prophetas appellitari fanorum Antiſtites, & qui altiore rerum contemplatione ſecretum cum Diis habere commercium credebantur, mecum ſentiente Aretio *in Problem.* licèt, qvod addit, inſulſum ſit, poſſe etiam ἀπὸ τοῦ φωνεῖν Προφήτας deduci. Certè apud Lucianum, ἐν βίων πράσει, Diogenes Cynicus, qvid eſſet, qvamve artem profiteretur interrogatus, eſſe ſe reſpon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

ſpondit ἀληθείας καὶ παῤῥησίας προφήτην. Aliàs qvot fuerint inter cæcas Gentilis εἰδωλομανίας tenebras, Διαβολικῆς προφητείας ſpecies, docetur, ut alios taceam, vel a ſolo Svida *ad voc.* Προφητεία. De oraculis, quot & qualia fuere, venuſtè tractat Venerius. Atq; hæc ſufficerent, niſi unum hoc incidiſſet, Attium illum *Navium* apud Romanos Tarquinii Priſci Augurem, qvem novaculâ cotem diſcidiſſe ferunt, non inſcitè a novo qvôdam Scriptore dici, iſtud cognominis a נָבִיא Ebræorum aſſumſiſſe. Qvemadmodum & memini me apud Voſſium legiſſe *de Art. Poët.* c. IIX. §. 3. illum tot modis decantatum Poëtam *Orphea* nunqvam exſtitiſſe, ſed *eſſe nomen appellat. ab Arabico Arifa deductum.* Dixiſſet rectius ad Arab. genium *Arrapha* qvippe عَرَّاف iſta lingvâ denotat *Sacerdotem, Ariolum*, Gr. Γνώστην & *Medicum* unde & Conjug. IIdæ Actio تَعْرِيفٌ eſt *vaticinatio*, μαντεία Act. XVI. 16. Augetq; hanc Voſſii ſuſpicionem Tullius *Lib. I. de nat. Deor.* referens Ariſtotelem prodidiſſe (forſan *Lib. I. de Anima* c. 5.) Orphea iſtum nunqvam fuiſſe; qvæ vero carmina Ejus nomine circumferuntur, ea a Pythagoricis Cercopi cuidam tribui. Ipſe a. Voſſius Cecropio Poëtæ Onomacrito adſcribit, *de Poet. Gr. c. 2. & 4.* Sic & Ælianus *l. VIII. Var. Hiſt. c. 5.* ex Androtione refert μηδὲ τὸν Ὀρφέα σοφὸν γεγονέναι θρᾷκα ὄντα, ἀλλὰ ἄλλους (non ἄλλως, monente Voſſio *de Or. & progr. Idolol. Lib. IV. c. 13.*) τοὺς μύθους αὐτοῦ καταψεύσασθαι. Conf. Laërt. *in Proœm.* Hactenus igitur de nominibus נביא & προφήτης, qvantum ſatis: nam de eorum Synonymis aliàs per occaſionem agendum. Nunc ad πραγματολογίαν.

VI. Prophetarum multiplex diſcrimen vel temporum ſucceſſio, vel ordinis Canonici ratio, vel ipſius graduum Prophetiæ diverſitas involvit. Cujus diſtinctionis Autor

 idem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

idem, qui eſt Epiſt. ad Ebræos : πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις κ. τ. λ. cap. I. 1. Ubi per πολυμερῶς gradus & incrementa doctrinæ Propheticæ : per πολυτρόπω, diverſas patefactionum formas interpretor cum Pareo, cui adſtipulantur Eraſmus, Hyperius, Cameron, Diodatus, item Noſtrates aliiq; innumeri. Sed & adv. πάλαι, contradiſtinctum τῷ ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τούτων, eſt breviſſima comprehenſio τοῦ καιροῦ τῆς ἐπαγγελίας : qvâ duplex V. T. Oeconomia includitur, Patriarchalis ſc. & Moſaica, cui tertia ſucceſſit N. T. Evangelica. Huc ſpectat, quam ex Schola Eliæ traducunt , Magiſtrorum Cabala de tribus Mundi magnis Periodis, bis mille annorum ſingulis, qvarum primam תהו , alteram תורה , ultimam המשיח nominari notiſſimum, allegante R. Ketinâ ex *Talm. tract. Sanhedrin.* c. II. *Pirke* R. Eliezer c. 51. Vid. Men. Ben-Iſrael *Concil. in XXX. c. Geneſ.* & *de Reſurr. c. 3. l. III.* Sub *primâ*, qvam *Patriarchalem* diximus, ab orbe condito ad exitum Iſraelit. ex Ægypto & Legis in Sinai promulgationem, qvod tempus ימי תהו Ebræis, tot Prophetas exſtitiſſe, qvot Patriarchas, certum eſt; qui non tantùm ut Κήρυκες δικαιοσύνης 2. Pet. II. 5. ruentes in vitia τοῦ ἀρχαίου κόσμου homines rectæ rationis frenô ſiſtere, labanteſq; ſub onere peccatorum animos ſvaviſſimâ venturi Seminis ſpe demulcere atq; erigere, divino Spiritu aſſiſtente, conati ſunt: ſed &, qvæ fata ſuis proximisq; ſeculis exſpectanda, prædixerunt. Ita enim fuiſſe Prophetas מִן הָעוֹלָם teſtatur Jeremias c. XXVII. 8. ἀπ' αἰῶνος Luc. I. 70. Ebr. III. 21. clariſſimè ipſe Chriſtus ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Luc. XI. 50. 51. ubi Prophetis annumerat Proto-martyrem V. T. Abelem. Diſertè Abraham a DEo Propheta appellatur , Gen. XX. 7. De Adamo qvibus ille vaticiniis Prophetam ſe exhibuerit, vid. Joſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

Joſephus *Antiqvit. Lib. I. c.* 3. Clem. Alexandr. *Strom.* 1. Moſes Bar-Cepha *de Paradiſ. Part. I. c.* 28. Sic & Henoch προεφήτευσε Jud. v. 14. Sub altera V. T. Periodo, qvam *Moſaicam* modò diximus, Prophetæ ad mentem Ebræorum alii fuere רִאשׁוֹנִים, alii אַחֲרוֹנִים; interq; hos alii *Majores*, alii *Minores*, qvorum qvidam ante, alii poſt captivitatem Babylonicam Prophetias edidere. De horum numero, ætate, ordine, ſtylo nihil in præſens commentabimur, tum ne ultra ſcopum nobis præfixum excurramus, tum ne in nimiam molem hic Prodromus creſcat, tum qvoq; qvòd ea ab aliis ſat prolixè tractata, ne nunc hic, ut ajunt, *Iliada poſt Homerum.* Aliud quidpiam hic meditamur, de diverſis Prophetiæ gradibus, deq; variis iſtis modis, qvibus ſua Patribus revelare myſteria DEUS olim dignatus eſt. Qvâ qvidem in materia, cum in diverſa abierint Judæi & Chriſtiani, & hi qvoq; inter ſeſe, nec qvisqvam tamen in tanto numero rem totam peregerit; collatis hinc inde ſententiarum divortiis, qvænam potiſſimùm eligenda, pro noſtri ingenii modulo expendemus.

VII. Propheticum Spiritum conſtat non eodem ſemper vigore luminis ſe manifeſtâſſe; ſed idem nunc clarius & illuſtrius, nunc obſcurius & (ut ita dicam) langvidiùs mentibus Vatum affulſiſſe. Qvid enim aliud per πολυτρόπως illud intelligendum? Et differentiæ hujus evidentiſſimum documentum qvis non cernit Deut. XXXIV. 10. cum divinæ lucis radiis tantum inclareſceret Moſes, qvantum inter ignes Luna minores? Elogium hoc: וְלֹא קָם נָבִיא עוֹד בְּיִשְׂרָאֵל כְּמֹשֶׁה אֲשֶׁר יְדָעוֹ יְהוָֹה פָּנִים אֶל־פָּנִים׃ æmulantibus hanc gloriam Aarone & Mirjam, ulterius ipſius DEI præconiô declaratur Num. XII. 6. 7. 8. אִם יִהְיֶה

נְבִיאֲכֶם יְהוָה בַּמַּרְאָה אֵלָיו אֶתְוַדָּע בַּחֲלוֹם אֲדַבֶּר־בּוֹ׃ לֹא־כֵן עַבְדִּי מֹשֶׁה בְּכָל־בֵּיתִי נֶאֱמָן הוּא׃ פֶּה אֶל־פֶּה אֲדַבֶּר־בּוֹ וּמַרְאֶה וְלֹא בְחִידֹת וּתְמֻנַת יְהוָה יַבִּיט׃. Qvibus verbis excellentiam Moſaicæ Prophetiæ, præ reliqvis, quadruplici charactere aſtruunt Judæorum Doctores. I. Qvod פֶּה אֶל־פֶּה locutus ſit cum Moſe DEus, id eſt בלא אמצע׳ *immedatè*, ut exponit Aben-Ezra. Qvippe absq; miniſterio Angelico, qvod reliqvis plerumq; affuit Prophetis, ut infra monſtrabimus, divinæ lucis influxum immediatè recipiebat. Maimonides, cui multum hac in re debemus, ita diſſerit in *More Nevochim Part. II. c.* 41. כל הנביאים על ידי מלאך וכו׳ *omnes Prophetæ mediantibus Angelis prophetabant, ideoq; quicquid videbant, parabolis ænigmatibusq; Ipſis repræſentabatur; Moſes autem nullo miniſtrante Angelo res futuras ediſcebat*: qvod probat his verbis פֶּה אֶל־פֶּה. Verùm hic non parva ſe aperit difficultas, de Angelis; qvos dum removent Verpi a Prophetia Moſis, removent etiam à miniſterio Legis in monte promulgatæ: qvod adverſatur Stephano Act. VII. 53. Paulo Gal. III. 19 & Ebr. II. 2. Nodus certè hic eſt, in qvo ſolvendo ſummi Viri, multo conatu, exiguo ſucceſſu deſudârunt. Chryſoſtomus ad Enallagen numeri reſpicit, per Angelos τὸν μεγάλης βουλῆς Angelum intelligens, *in Gal. III.* 19, τί ἐστι τοῦτο; τινές φασι τὸν ὑπὸ Ἀγγέλων λέγειν διαταχθέντα (ſc: νόμον:) οὐκ ἔστι δὲ, πῶς γὰρ Ἄγγελοι νόμον ἐφάνησαν διατάττοντες; mox dubium ſolvit: ἀλλὰ διαταχθέντα νόμον λέγει, τὸν ἐγχειρισθέντα αὐτῷ δι᾽ Ἀγγέλου τοῦ ὀφθέντος αὐτῷ ἐν τῇ βάτῳ. Theophylactus Chryſoſtomo ſubſcribit; ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς τὰς διαταγὰς Ἀγγέλων, τουτ᾽ ἔστιν, ὑπὸ Ἀγγέλων διαταχθέντα, καὶ ἐγχειρισθέντα δι᾽ Ἀγγέλου τῷ Μωυσεῖ, δηλαδὴ τοῦ ὀφθέντος ἐν τῇ βάτῳ. Similia habent Scholiaſtæ Græci. Qvæ ſolutio

tio,ut cum venia tantorum PP.id dicam,planè ἀσύστατος.Nam & non convenit hiſce locis parallelis talis ἐναλλαγὴ, & Apoſtolus ſat clarè diſtinguit *ad Gal.* inter Angelos & Μεσίτην. Niſi per hunc Moſes intelligendus, qui Vet. Mediator fœderis, ſicut Novi Chriſtus Joh. I. 17. Qvod ipſum tamen nîl proderit. Syrus eqvidem & Arabs in pl. num. legunt *Angelos*,qvamvis Beza in not. ad h.l.utrumq; in ſing.num. alleget. Heinſius *Exercit. S.* σοφὸν φάρμακον affert, ſed inutile. Cum enim Angelos hh. ll. ex nativâ vocis ſignificatione de Prophetis interpretatur & Chryſoſtomi qvædam verba allegat, qvæ tamen οὐδὲν πρὸς ἔπος, elevat inſigne verborum Stephani pondus, qvod facere videtur ad extollendam tremendi Numinis pompam, qvam in Lege divulgandâ ſplendidiſſimo μυριάδων Angelicarum comitatu deſtitutam quis crediderit? fatente id aliàs ipſò Moſe in cygneâ cantione ſuâ, Deut. XXXIII. 2. Aliorum hic opiniones,ſive conjecturas,ut brevisſim,omitto. Ego ſic exiſtimo,ſanctiſſimæ Legum DivinarumMajeſtati nihil derogare διακονικὴν τῶν Ἀγγέλων παρουσίαν. Nec qvicqvam abſum a Megalandro noſtro *in Gal.* & noſtratibus ut plurimis. Conf. Hieronym. Comment. in *Gal. III.* 19. Et ut hoc extra rhombum admiſceam, non arridet Piſcator, qui *Legem* a Proto-Martyre *viva Eloqvia* dici v. 38. ideò vult, qvòd vivâ voce pronunciata & auribus fuerint excepta, non per ἔκστασιν aut ſomniũ revelata. Rectiùs,ut credo,qvòd,*qvi fecerit ea vivat in eis* Deut. XXX. Gal. III. vel qvia pædagogicè ad vitam ducat, *Ibid.* cum nihil Legi inſit mortiferi,ſi illam in ſe intrinſecè ſpectes. Verſiones qvaſdam Arabicas ex Mſc. Conſtantinop. Pocockio citatas *Not. in Pentat. Arab. Bibl. Walton.* & ab illa R. Saadiæ diverſas, qvæ ubiq; divina colloqvia, ut cum Patriarchis, ita cum Moſe inſtituta Angelis, ut cauſæ principali,adſcribunt,non moramur.Itaq;,qvod ad

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

præſentem ſcopum, credimus ex verbis פֶּה אֶל־פֶּה, nihil aliud concludi poſſe, qvàm claram diſtinctamq; ſecretorum cæleſtium patefactionem, qvæ qvidem multò in Moſis intellectu, qvam reliqvorum Prophetarum, fuerit illuſtrior. Ille namq; οὐ δι' αἰνιγμάτων, (qvod Philo notat *lib. Qvis rerum Divinarum hæres ſit*) nec per hieroglyphicas rerum impreſſiones & imagines, qvæ Viſa & Somnia ut maximè comitantur, ſed ἀμέσως objectorum perſpicuitate, perfectoq; mentis habitu divina percepit oracula. Qvod deſumtâ a ſpeculo ſimilitudine tradidere Rabbini Commentatores. R. Jehudah in *Vajikra Rabba*: מתוך תשע איספקלריות היו הנביאים רואים ומשה ראה מתוך אספקלריא אחת׳ *Per decem ſpecula viderunt* Prophetæ, *Moſes autem vidit tantùm per ſpeculum unicum.* Qvod qvale fuerit accipe: א׳ר׳ כל הנביאים ראו מתוך איספקלריא מלוכלכת ומשה ראה מתוך איספקלריא מצוחצחת *Ajunt Magiſtri noſtri omnes* Prophetas *vidiſſe ſpeculô maculato, Moſen verò ſpeculô nitidô.* R. Sel. Jarchi de alio qvovis vatum hoc negat, & verba DEI Num. XII. 6. בְּמַרְאָה אֵלָיו אֶתְוַדָּע׳ tali modô ἐξηγεῖται: ש שכינת שמי אין נגלית עליו באספקלריא המאירה אלא בחלום וחזיון׳ *majeſtas mea non manifeſtabitur Ei in ſpeculo illuſtri, ſed tantum in ſomnio & viſione*: additq; deinde ad Θεοφανείαν Moſis declarandam: וּמַרְאֶה וְלֹא בְחִידוֹת׳ זה מראה דבור שאני מפרש לו דבורי במראות פנים שבו ואיני סותמו לו בחידות כענין שנאמר ליחזקאל חוד חידה וכו׳: In viſione & non ænigmatibus, *i. e. qvæ talis eſt viſio, qvam vox articulata comitatur: nam exponam Ei eo modô verba mea per claras velut ad oculum viſiones, quæ obvenient Ei; nec ulli eadem ænigmatibus involvam, ſicut Ezechieli dictū eſt c. XVII. 2. propone ænigma, &c.* Jarchio jungimus ſuum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

Ab. Ezram d. l. ומראה ולא בחידות׳ הטעם שאראה לו הדבור כאשר הוא כצורת המשכן: ולא בחידות׳ כמו הנשר הגדול׳: Senſus eſt : Deum clarius mentem ſuam Moſi propoſuiſſe, qvam aliis, cum qvibus vix actum fuit niſi per ænigmata ; qvale illud eſt *aqvilæ magnæ* Ezech. XVII. 3. &c.

VIII. Secundus character, qvô reliqvas inter eminuit Prophetia Moſis, penè cum priore convenit : Moſen ſc. vigilantem videntemq;, dum ſinguli ſuis officiis fungerentur ſenſus, Prophetiæ vacâſſe; non ſomniis obrutum aut nocturnis viſionibus turbatum rerum ideas percepiſſe; qvod genus revelationis inferioribus Prophetis erat familiare. Elicitur hæc prærogativa ex verbis, qvæ ſupra attulimus, Num: XII. 6. אם יהיה נביאכם יי׳ במראה אליו אתודע בחלום אדבר־בו: לא כן עבדי משה וגו׳ *ſi qvisqvam fuerit inter vos Propheta, per viſionem apparebo Ei, in ſomnio alloqvar Eum. Aliter verò cum famulo meo Moſe erit*, &c. ותמנת יהוה יביט *ſimilitudinemq; Jehovæ intuebitur*. Nimirum indicat cœleſte Numen, tale ſe conſpiciendum a Moſe fore, qvale conſpici a mortali oculo poſſit ; qvod niſi vigilanti non contigiſſe putandum. Unde in hæc ultima verba Aben-Ezra ita: כטעם הראני נא את כבודך או שהוא בהקיץ Ita ſc. viſum a Moſe DEum, uti is petit *Exod. XXXIII. 18. fac videam gloriam tuam* (Maimon. pro Eſſentia ac veritate DEi accipit in *Mor. Nevoch. & Jeſud. Hattorah* §. X. digniſſimus qvi legatur) *vel qvia videret inſomnis*. Benè autem Raſchi תמנת יהוה exponit de viſione poſteriorum DEi מראת אחרונים, cujus mentio Gen. XVI. 13. Exod. XXXIII. 23. Hoc igitur iſtud eſt diſcrimen inter Moſen,

 dum

dum a DEo informaretur, vigilantem, cæteroſq; omnes Prophetas in ſomniis plerumq; cum ſenſus eſſent ἀεργοὶ, divinantes, qvod obſervat Ben-Maimon *Jeſude Hattorah.* §.*VII.* qvem librum eruditis Annotationibus illuſtravit Gu. *Vorſtius*; מה הפרש יש בין נבואה משה לנבואה שאר כל הנביאים שכל הנבאים בחלום ובמראה ומשה ראה והוא ער ועומד: i.e. *Qvænam eſt differentia inter prophetiam Moſis, & reliquorum omnium Vatum?* ℞. *Omnes* Prophetæ *per ſomnia aut viſionem prophetabant, ſed Moſes, Doctor noſter, dum ſtaret & vigilaret, prout legimus Num. VII. 89.* Unde & apud Talmudicos hæc regula משה רבינו ע״ה לא באה אליו מעולם נבואה בלילה׳ *Nunqvam Moſi b. m. prophetia oblata eſt nocturno tempore* i.e. ſomniis aut viſionibus nocturnis, more Prophetico ordinario, qvem jam jam elucidabimus.

IX. Tertia hujus excellentiæ Moſaicæ nota in eo conſiſtit, qvod immoto mentis habitu, & viribus corporis inconcuſſis, Divinis admiſſus fuerit arcanis, ſecus ac Prophetæ ſeqviores. Conficiunt hæc Rabbini ex iſtis verbis יְדָעוֹ יְהוָה פָּנִים אֶל־פָּנִים Deut. XXXIV. 10. collat. cum Exod. XXXIII. 11. qvo loco adjuncta eſt uberior hujus commercii Divini deſcriptio: כַּאֲשֶׁר יְדַבֵּר אִישׁ אֶל־רֵעֵהוּ׳ *qvemadmodum qvis cum amico ſuo loqvitur.* Hinc Autor ante laudatus *lib. cit.* כל הנביאים יראים ונבהלים ומתמוגגים וגו׳ *Cæteri ad unum omnes* Prophetæ *pavores, perturbationes & deliqvia paſſi ſunt. Solus Moſes his vacuus; qvippe cui Scriptura refert Deum locutum eſſe, ut ſolet aliqvis Amico: hoc eſt, ut ad amici verba non expaveſcit qvisqvam, ſic Propheticos ſermones Moſes ſine mentis terrore & concuſſione ullâ intellexit.* Raſchi in *Deut. XXXIV.* 10. communi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

municata Moſi per Prophetiam verba Divina docet שהיה לבו גם בו *cum valeret ipſi animus*. Sed pulcerrimè, ut mihi videtur, Baal Hatturim ad Num. l. c. רו׳ לום׳ שאפילו במראה שאני נראה לנביאיכם נתהפך צירים עליהם אבל משה יושב כתלמיד לפני רבו: *Hoc vult DEus: licet in viſione appaream aliis* Prophetis *veſtris, non tamen absq; qvâdam eorum conſternatione id fit; verùm Moſes, tanqvam Diſcipulus ante Magiſtrum ſuum*, ſic in conſpectu meo conſiſtit, cum debita qvidem reverentia, ſed absq; omni tamen terrore.

X. Qvartum ἀξίωμα, qvô Moſes ſupra communem Prophetarum ſortem ſuſpenditur, hoc addi poteſt. Liberum erat Moſaico Spiritui, qvovis tempore propheticum munus aggredi; liberum, qvandocunq; placuit & neceſſitas poſtulavit, ſacratiſſimum in Tabernaculi adytis conſulere Oraculum, qvod e medio Cherubinarum Imaginum reſponſa edebat. Hoc eruunt Magiſtri ex ſenſu verborum: מֹשֶׁה בְּכָל־בֵּיתִי נֶאֱמָן הוּא *Moſes, qvi eſt in totâ domo meâ fidelis*. Apoſtolus Ebr. III. 2. Πιςὸν ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ reddit, & qvidem paſſivè in primis. Similis hâc parte Moſes, ut Divina humanis θεοπρεπῶς accommodem, Miniſtris liberrimi apud Principes acceſſus, intimæq; admiſſionis, qvos Galli *Mignons des Rois*, Itali *Favoriti de i Principi* ſolent nuncupare. Nam non ut apud Perſas, qvibus ad Regium conclave non patuit aditus niſi accerſitis Eſt. III. 11. ſic apud Regem Regum Miniſtris Ejus; licèt ſoli hæc data facultas Moſi, qvi divinam auſus eſt explorare mentem vocatus ſive non vocatus. Qvod nunc communibus Doctorum ſuffragiis confirmandum. Ab-Ezra ad h. l. בְּכָל־בֵּיתִי נֶאֱמָן הוא׳ טעמו כבן בית שיכנס בלא רשות ואם יצטרך ידבר צרכיו ואתם כאשר אתודע לכם בחלום תדעו ואם לא אין לכם רשות לשאול

 id eſt

id eſt, M*oſes tanqvam Filiusfamilias qvidem ingredietur abſq; impetratâ licentiâ, & qvandocunq; opus fuerit, qvod e re ejus ſit, impetrabit. Vos autem* reliqvi, *non niſi Ipſe me notum fecero vobis, ullam rem cognoſcetis. Aliter enim non conceſſa vobis erit percontandi licentia.* R. Schelomoh *in Deut. l. c.* מדבר אליו בכל עת שרוצה כענ׳ שנאמ׳ עתה אעלה אל יי׳ *licuit Moſi DEum alloqvi, qvocunq; tempore placuit, ut patet ex Exod. XXXII. 30. nunc aſcendam*, inqvit Moſes, *ad Dominum.* Addam Maimonidem *lib. ſup. allegatô*: כל הנביאים אין מתנבאים בכל עת שירצו וגו׳ *Nullus Prophetarum ad lubitum vaticinabatur, præter Moſen, qvi Spiritu S. inſtructus erat, qvando volebat, & reqvieſcebat ſuper Eum Prophetiæ Spiritus.* Qvæ vero ſeqvuntur ibidem, limam poſcunt: *non habuiſſe opus Moſen præviâ ulla mentis diſpoſitione, vel ſuimet præparatione; cum perpetuò eſſet paratus promtusq; Angeli inſtar miniſtrantis: qvapropter prophetare potuit, qvandocunq; placuit, cujus exemplum Num. IX. 8.* Hyperbolica enim eſt hæc magni Doctoris locutio, nec convenire videtur cum vetuſtiore Ebræorum norma, qvam ex *Maſſecheth Sanhedrin Talm.* allegat R. Albo *Maam.* 3. אין הנבואה שורה אלא על חכם וגיבור וגו׳ *Nunqvam reſidet Spiritus Propheticus niſi in homine prudenti & forti.* Per *fortitudinem* vix aliam virtutem intellectam puto, qvàm illam ſuperioris animæ facultatis in affectibus reprimendis, ut eſt in *Maſſech. Avoth.* c. 4. איזהו גיבור הכובש יצר הרע *qvis eſt fortis? qvi ſubjugat vitioſos affectus* Sed ab affectibus non alienus aliqvando Moſes, qvem ſæpius humana paſſum teſtatur Scriptura. Ut tamen interea non negem, liberiorem fuiſſe Ei ad Prophetica munia Spiritum qvam cæteris Vatibus: ad qvos jam accedo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

XI. Proximus Moſaico Prophetiæ gradus in dicto ſupra allato Num. XII. 6. deſcribitur; cum per *Viſiones* vel *Somnia* DEus Prophetarum ſe mentibus, pro lubito, ſuamq; voluntatem declararet. Qvem utrumq; revelationis modum (*Prophetiam* in ſpecie & technicè Ebræis dictam) certis qvibusdam ὁράμασιν & ſenſibilibus ſimulacris compoſitum novimus. Ea enim ſenſui Communi ſive Phantaſiæ ita impreſſa fuere, ut viſi ſibi fuerint ipſi Vates ſenſus habuiſſe vigiles ſuarumq; functionum potentes, cum tamen ſcenica eſſent & dramatica omnia. Tantum eqvidem ſupra omnes unus Moſes excelluit, ut, cum cæleſtes ἱεροφαντίαι hujus intellectum proximè & immediatè afficerent, illorum ſenſus & αἰσθητήρια potiſſimùm occuparent, & per eadem facultati intellectuali proponerentur. Nonnihil autem diſcriminis inter *Viſionem & Somnium*, magis qvod ad circumſtantias, qvàm ad ipſam Eſſentiam, annotavit Rambam *Mor. Nev. Part. II. c.* 45. *in ſomnio auditam freqventiſſimè vocem, in Viſione non item*. At utrobiq; Nos vel per objecta ſenſibus Symbola, vel narrativâ voce repræſentari divina deprehendimus; qvemadmodum & vix ullum viſionis expers ſomnium. Nam licèt Viſio vigilanti nonnunqvam offeratur Prophetæ, eadem tamen externos Ei ſenſus ita confeſtim defatigat agitatq;, ut in ſoporem inducat. Eoq; ſæpe accidit ut in vera ſomnia viſiones declinent, qvod Autor Noſter haud neſcivit, qvi in *Jeſud. Hatt.* c. VII. §. 3. אין, inqvit, רואין מראה הנבואה אלא בחלום בחזיון הלילה או ביום אחר שתפול עליהן תרדמה *nunqvam Propheticam exhiberi viſionem, niſi in ſomnio, per viſa nocturna, aut interdiu qvidem, ſed poſtqvam gravis in Eos ſopor irruit*. Probat autem hoc in primis exemplo Abrahami, cujus Θεοφαντίαν Gen. XV. 1. ſomno terminatam legimus v. 12. Ad huncce inferiorem Prophetiæ modum, qvô ſub Hieroglyphicis Emblematibus

futuri rerum eventus, velut in ſpeculo, Phantaſiæ Vatum alluxere, nihil dubito reſpexiſſe Gentium Doctorem 1. Cor. XIII. Ubi inter iſtam cæleſtis bonitatis veritatisq; lucem, qvâ dũ hic vivimus illuſtramur, æternumq; Divinæ majeſtatis lumen, qvô pleniſſimè in cælis fruemur, comparatione inſtitutâ βλέπομεν, inqvit, ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. Planè ac ſi Apoſtolus utrumq; Prophetandi gradum Moſaicum & vulgarem ſuâ hâc alluſione complexus eſſet. Nec idcirco tamen Propheticæ & Apoſtolicæ conciones folia qvædam Sybillæ fuerunt, aut Sphingis ænigmata obſcura, ambigua & flexiloqva. Perſpicuam certè proponunt explicatamq; doctrinam de omnibus ad ſalutem neceſſariis: qvoniam relativa eſt hæc Pauli oratio, non abſoluta, ut modò indicavimus. Porrò qvomodo totam hanc rem Judæorum Scriptores ſpeculi ſimilitudine (ut δι' ἐσόπτρου Paulus) non ineleganter comprehenderint, audiamus unum inſtar omnium R. Bechaium *Comment. in Num. XII.* 9. cujus cum verba longum foret exſcribere, ſenſum hic exprimam: P*lacuit DEo prophetiam reliqvorum* P*rophetarum homini ſpeculum inſpicienti comparare, prout innuunt Rabbini proverbiali axiomate : Nemo inſpiciat ſpeculum Sabbathô. Speculum iſtud vitreum eſt, in qvo reflectitur homini ſua ipſius forma & imago per vim reflexivam ſpeculi. Talis erat* P*rophetia reliqvorum Vatum ; eò qvòd contuebantur ſacras & puras imagines & lumina ſuperna; ex medio ſplendoris & puritatis iſtorum luminum realium, viſæ ſunt illis ſimilitudines, viſæ qvoq; formæ qvales ſunt hominũ.* Ita ille ſine dubio animum ſuum refert ad iſtas vivorum animalium imagines Eſaiæ & Ezechieli viſas : & ſimul hoc intendit, lucem ſplendoremq; Propheticæ illuminationis, non ita planè Phantaſiã Prophetæ perſtrinxiſſe deq; eâ triumphâſſe, qvin ſingula viſionis objecta ſuis velut oculis conſpexerit & rerum momenta ad morem humanum perceperit.

XII. Sed hic, anteqvam ulterius progrediamur, neceſſum credimus de ſomniis Propheticis pauca εἰδικῶς monere, & qvæ ſint eorundem apud Ebræos diſtinctiones proponere. Siqvidem conſtat eorum qvædam a natura & vi genuinorum Propheticorum haud parum deflectere. Vulgatiſſima eſt inter Magiſtros diviſio *Somnii* in חלום הנבואיי *Propheticum* ſtrictè ſumtum, חלום הפשוט *ſimplex*, & חלום הקסמי *Divinatorium*, ſive Pſeudo-propheticum; qvod qvale ſit depingit Kimchius, Majmonidi ὁμόψηφος, in Jer. XIV. 14. וְקֶסֶם וֶאֱלִיל וְתַרְמִית׳ יש אנשים שישפע אליהם הכח השכלי בכח המדמה עד שידברו עתידו׳ ויחלמו חלומו׳ צודקות ומזה הכח היו נביאי הבעל׳ *Dantur, qvorum phantaſiæ influat virtus qvædam intellectualis, ut prædicant qvoq; futura. Sed & vera iisdem obveniunt ſomnia; cujus cenſus erant Prophetæ Baal.* Mentione hic factâ de חלומות צודקות, manu velut prehenſâ ducimur ad ipſum Maimonidem, qvi notione magis obviâ diſtingvit ſomnia in חלומות נבואיי *prophetica* & חלומות צדק *vera*. De his *Mor. Nev.* P. II. c. 41. ſic ait: *Qvando dicitur DEus veniſſe ad N. in ſomnio noctis, tum Prophetia minime nuncupanda, neq; Vir talis* Propheta. *Alius enim non eſt ſenſus, qvàm admonitionem homini tali datam, & qvidem in ſomnio.* Cujus generis fuiſſe idem Auctor, cum reliqvis ſuæ ſectæ, aſſerit, qvæ ſomnia narrantur Pharaonis, Nebucadnezaris, Abimelechi & Labanis: deq; ultimis duobus cautionem addit Onkeloſi, qvi utrobiq; Gen. XX. 3. & XXXI. 24. verba וַיָּבֹא אֱלֹהִים בַּחֲלוֹם הַלָּיְלָה וַיֹּאמֶר ſic παραφράζει: וַאֲתָא מֵימַר־מִן־קֳדָם יְיָ׳ *Et venit verbum a Domino*, non verò, ut aliàs, cum ſomnia ſunt Prophetica, *& revelavit ſe Dominus*. Præcipua autem ratio, cur ſomnia ejusmodi *monitoria*, Prophetica eſſe negant, hæc eſt; qvòd prophanis & ἀνοσίοις

ea

ea non competant; memores vetuſtæ traditionis: *Spiritum Propheticum nulli niſi probo ſanctoq; homini communicari.* Præterea hoc obſervatu dignum: contineri ut plurimum hiſce ſomniis veris aut νουθετικοῖς, multa ἀργὰ καὶ μὴ τυγχάνοντα; qvod cernere licet in ſomnio Joſephi Gen. XXXVII. 9. qvô viſi ipſi fuere ſe incurvare Sol, Luna, ſtellæq; undecim: cum tamen Mater ejus, per Lunam ſignata, aliqvô ante tempore diem ſuum obiiſſet, adeoq; nec reverentiam exhibere Ei cum cæteris hanc poſſet. Et hujus occaſione ſomnii, in *Gem. Maſſech. Berachoth. c. 9.* natum eſt hoc axioma: כשם שאין אפשר לבר בלא תבן כן אין אפשר לחלום בלא דברים בטלים: *Uti nullum ſine palea frumentum, ita nullum ſine verbis otioſis ſomnium*, ſc. ἀπομνημονευτικόν. Verba avtem otioſa ideo dicuntur, qvia qvoad ſingula & particularia explicari minimè poſſunt. Similiter R. Albo *Maam.* 3. c. 9. אין חלום בלא דברים בטלים והנבואה כלה ענין צודק ואמת. *Nullum datur ſomnium* ſc. Verum, *in qvo non ſit qvidpiam* ἀργόν: *ſed Prophetia omnibus modis eſt realis & vera.*

XIII. Sed audiamus Philonem, ἄνδρα τὰ πάντα ἔνδοξον Joſephi judicio Antiqv. l. XVIII. c. 10. qvi tract. περὶ ὀνείρων, (qvem librum miror à Bellarmino *de Script. Eccl.* planè omiſſum, cum tamen ab Hieronymo *in Catal.* inter Philonis opera recenſeatur) differentiam hujusmodi merè νουθετικῶν ſomniorum, aliorumq; qvæ Prophetica ſunt, fuſiùs perſeqvitur. Et qvidem primum & generalem τῶν Προφητικῶν ὀνείρων hunc characterem inſinuat, qvòd in ecſtatico raptu cauſa qvædam potentior in mentem & imaginationem Prophetæ agens, abſtraxerit eas a ſeipſis, qvo evidentiores fierent impreſſiones futurorum. Deinde aliud triplex in ſpecie diſcrimen ſomniorum propheticorum enarrat. Ubi notandum more ſuo Philonem non nihil Πλατωνίζειν. Nam cum hoc potiſſimùm agat, ut Moſen non unô modô immiſſa cælitus

hæc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

hæc ſomnia docuiſſe, qvò melius ſub iisdem lateret recondita doctrinæ Ejus ſublimitas, monſtret; Cabbaliſmum inter & Platonismum medius navigans allegoricos & myſticos ſenſus perpetuò ſectatur: qvod infra mox patebit. *Primum* itaq; ſomniorum genus facit; ἄρχοντος τῆς κινήσεως Θεοῦ καὶ ὑπηχοῦντος ἀοράτως τὰ ἡμῖν μὲν ἄδηλα, γνώριμα δὲ ἑαυτῷ, h. e. *cum ipſum Numen primum phantaſiæ motum incipit, & ſecretô modo res inſuſurrat, nobis ignotas, ſibi verò notas.* Brevius; cum mens Prophetæ ſomniantis in rerum occultarum inſpiratione merè eſt paſſiva. Qvale ſomnium a Philone putatur fuiſſe iſtud Joſephi, de qvo ante; qvippe iſtic ſubminiſtrata χρησμοῖς σαφέσιν ἐοικότα *DEI oraculis certis ſimilia*, non, ut Gelenius vertit, *convenientia.* Huc itidem refert ſomnia Pharaonis, Pincernæ atq; Piſtoris. Et Joſepho qvidem occultam fuiſſe ſomnii ſui ſignificarionem concludit ex verbo ᾤμην *Videre mihi viſus ſum*, qvod pro הִנֵּה Ebr. textus ſubſtituunt LXX. Siqvidem, ut ſe explicat, τὸ μὲν ᾤμην εὐθέως ἀδηλοῦντος καὶ ἐνδοιάζοντος ἢ ἀμυδρῶς ὑπολαμβάνοντος &c. Salomonis Somnium 1. Reg. III. 15. qvi ad hanc claſſem, ut Divinæ originis non bene conſcium, referunt, (eò qvod expergefactus ille dixerit: *Ecce ſomnium erat*) abſunt a vero, ut mihi videtur: Nam & materia ſomnii notiſſima Salomoni & ipſa origo: qvippe qvi DEo promiſſionis in ſomnio Avtori euchariſtica ſolvit eod. v. *Alterum* genus eſt: τῆς ἡμετέρας διανοίας, τῇ τῶν ὅλων συγκινουμένης ψυχῇ, καὶ θεοφορήτου μανίας ἀναπιμπλαμένης, πολλὰ τῶν ἀποβησομένων προαγορεύειν. Senſus eſt: *cum* mens noſtra, in prædicendis futuris, non tantùm paſſivè ſe habet, ſed & DEo cooperatur προγνώσεις iſtas inſinuanti. Qvid enim hic ὁ πλατωνίζων Philo per τὴν τῶν ὅλων ψυχὴν aliud vult, qvàm Platonicorum iſtam & Pythagoricorũ *animam mundi*, qvam ſublimia do-

cti inter Judæos שכל הפעל *Intellectum Agentem*, ipſeq; Philo alibi τὸν ὅλων νοῦν *mentem univerſalem* appellat. Dantur ad Ejus mentem non tantùm ejusmodi ſomnia, in qvibus figuræ qvarundam rerum Phantaſiæ ut ſpeculo immittuntur, atq; inde ad intellectum tranſmittuntur: qvi cum merè ſit hic patiens, recipit eas qvidem, ſed nihil agere poteſt ad rerum ſub iis latentium veritatem evolvendam. Qvare iſta ſomnia inter obſcura & qvæ Interpretem poſcunt, Philo, ut & Ebræi ad חלומות צרק referre ſolent. Sed ſunt præterea adhuc alia qvædam ſecundi generis, cum mens noſtra ſenſuum adminiculo diverſas figuras & notas hieroglyphicas, ut paſſiva, in ſe admittit, easdemq;, ut ſimul aliquid agens, qvid denotent, intelligit, DEo ſeipſum hic aliqvantò clarius, i. e. loqvente Philone, οὔτε σφόδρα τηλαυγῶς, οὔτε σκοτίως aperiente. Hujus cenſus fuiſſe Prophetica ſomnia auguratur, qvæ ſic in ſpecie appellantur, additq; ὑπόδειγμά τι, τὴν ἀπὸ τῆς οὐρανοκλίμακος φανεῖσαν ὄψιν; αὐτὴ γὰρ, inqvit, αἰνιγματώδης μὲν ἦν· τὸ δὲ αἴνιγμα οὐ λίαν τοῖς ὀξὺ καθορᾷν δυναμένοις ἀπεκρύπτετο, *Ibidem*. *Tertium* Somniorum genus Philoni eſt: ὁπόταν ἐν τοῖς ὕπνοις ἐξ ἑαυτῆς ἡ ψυχὴ κινουμένη, καὶ ἀναδινοῦσα ἑαυτὴν κορυβαντιᾷ· καὶ ἐνθουσιῶσα δυνάμει προγνωστικῇ τὰ μέλλοντα θεσπίζει, qvod totum ita reddo: *qvando mota ex ſeipſa in ſomniis anima, & agitata, neſcio qvô furore, inſanit, divinoq; inſtinctu per vim qvandam propheticam futura profatur.* Phantaſmata autem, qvæ tali in ſomnio, occurrunt, ſic notantur: διὰ τὸ βαθὺ καὶ κατακορὲς ἔχειν τὸ αἴνιγμα, ἐδεήθησαν καὶ τῆς ὀνειροκριτικῆς ἐπιστήμης, qvia profunda erant & nimiæ obſcuritatis, ope oneirocritarum indigebant. Qvamobrem tertium hoc Philonis genus, Ebræorum Scriptoribus idem eſt cum primo qvod *verum* dicunt. Tum qvoq; hi τοὺς ὀνειροκρίτας & interpretes ſomniorum ipſis longè anteponunt ſomniis. Etenim ut ipſa per ſe ſomnia, omnibus Prophetiæ

phetiæ gradibus multò inferiora judicant ; ita eorundem explicationem לרוח הקודש adſcribunt. Sed ne ſolius Philonis hæ partes ſint, ab eadem diſtinctione non abludit Magnus Hipponenſium Præſul *Ad Simplician. lib. II. Qv.* 1. Duos ille modos ordinarios Prophetiæ colligit: unum qvi fit per informationem ſpiritus, ubi rerum demonſtrantur imagines: alterum, per fructum mentis ad intelligentiam. *Primum* docet accidiſſe 1. *per ſomnium*, (ſc. *verum* Ebr. חלום צדק:) *ſicut non ſolùm pleriq; Sancti, ſed & Pharao & Nabuchodonoſor Rex vidit, qvod nemo eorum intelligere valebat*, 2. *per demonſtrationem in ecſtaſi, qvod nonnulli lat. Stuporem* (alii *pavorem* legunt) *interpretantur, mirum ſi propriè, at vicinè tamen; cum ſit mentis alienatio a ſenſibus corporis, ut Spiritus hominis divinô Spiritu aſſumtus capiendis atq; intuendis imaginibus vacet.* Ubi vides *primum & tertium* ſomnii genus a Philone propoſitum, & a nobis jam elucidatum, apprimè memorari. *Secundum* autem ab Auguſtinô cenſeri video *cum hæc ipſa, qvæ demonſtrantur imaginibus, qvid ſignificent & qvo pertineant, revelentur.* Qvi modus cum ſecundo Philonis genere exactè convenit: qvoniam, ut Philo evidentiora eſſe in eo omnia, qvàm in reliqvis, exiſtimat, ſic Noſter *certiorem eam eſſe Prophetiam* tradit.

XIV. Verùm de ſomniis dum tam prolixè diſſerimus, ne qvis credat nos ſomnia vendere & ὑπηνέμια ὀνείρατα, ut ſonat adag. in *Luciani Harmonide*. Permagni ſiqvidem res eſt momenti, ut Somniorum, qvæ exhibentur in Scripturâ, diligenter notetur diverſitas. Foret enim aliàs, ut omnes בעלי חלומות & ſomniatores, etiam pravi & a DEo averſi, modò qvid ſingulare & extra ordinem iis per ſomnia obvenerit, in Prophetarum catalogo reponendi eſſent: qvod abſurdum. Proximum jam erit, qvâ re a divinis Pſeudo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

prophetæ differant, diſpicere. Generalis ſit hæc regula: Propheticus Spiritus nunqvam mentis primariam facultatem ſua ſede &, ut in re gravi cum Marone ludam,

——— *præcipitem puppi deturbat ab altâ,*

non rationis impedit uſum, non vires judicii enervat. Breviter: non corrumpit mentem, ſed informat firmat illuſtratq;. Pſeudo-propheticus verò ſive falſus ſpiritus, cum ſupra mediam humanæ mentis regionem, qvomodo Phantaſiam hic appellare liceat, non aſcendit, turbas in eâ excitat tempeſtatesq; vehementes, qvæ mentem non impugnant tantummodo, ſed & expugnant. Qvoties enim inordinata cum tumultu Animam occupant phantaſmata, qvod vel in mania vel in melancholia (docentibus Phyſicis) vel in repentinis Divinatorii ſpiritus ἐνεργείαις ſolet accidere, non certum eſt judicium, non ſana ratio, ſed eclipſin qvandam, ut ita dicam, patitur Lux ejus naturalis. Hinc Plato *in Timæo*: τὸ φαυλὸν ἡμῶν (qvomodo ſublimis Philoſophus inferiorem facultatem animæ deſpicit) ἵνα ἀληθείας πῆ προσάπτοιτο, κατέστησεν ἐν τούτῳ τὸ μαντεῖον· ἱκανὸν ἢ σημεῖον, ὡς μαντικὴν ἀφροσύνῃ Θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν &c. Cumq; aliàs nunqvam ſua ætate, niſi alienatâ mente & tumultuante phantaſiâ, conſtitiſſe Divinationis artem tradit, ex μαντικῆς etymo, qvòd ſit ἀπὸ τῆς μανίας, unde & olim μανικὴ, idem accuratè in *Phædro* confirmat: qvomodo apud *Scholiaſten Ariſtoph. in Plut.* & Lucan. *Lib*, 5. Pythiam Vatem legimus interno furore repletam. Proinde non tantùm intra facultatem animæ inferiorem reſidebat vis iſta Dæmonis; qvippe qvæ, per corporis partes cum diffunderetur, afflatu ſuô ita hominem concitabat, membraq; omnia maximô diſtendebat cruciatu, mentemq; ſpirituum acrorum atrâ circumfuſam caligine, ac ſenſu & ratione alienatam divexabat, ut præter genarum pallorem, tremorem corporis, horrorem

coma-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

comarum, fremitum cordis, nutationem luminum, oculorum averſionem, vocis aſperitatem, cervicis agitationem, partium corporis reliqvarum lacerationem, ſexcentaq; alia, qvorum paſſim apud Poetas mentio eſt, ſæpenumerò dirupti miſeris modis animam infamem Vates abjicerent. Eſt apud Chryſoſtomum relatio Poetæ cujusdam de qvodam vaticinante, qvi cum diſcerperetur, nec poſſet ferre impetum Dæmonis, exclamabat:

Solvite, namq; DEûm Regem non amplius ipſum
Mortalis capit, &c.

Qvales etiamnum enthuſiaſticos raptus, ſi modo veri ſunt non ficti, ut opinor, Ipſe Ego meis oculis non unâ vice apud Qvakeros, ut ex trepidatione vocant, deprehendi, cum inter Anglos verſabar. Simile prorſus illud apud Virgilium *Æneid. l. VI.* cum Sibyllam oracula parturientem graphicè depingit.

—— *ſubitò non vultus, non color unus,*
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorq; videri
Nec mortale ſonans, afflata eſt Numine qvando
Jam propiore DEi. ——

Conf. Plutarch. *de defect. orac.* Amm. Marcell. *l.* 21. Porphyr. apud Evſebium *de præpar. Evang. l.* 5. Chryſoſtomum *Hom. XXIX. in* 1. *Cor.* in primis verò Leon. Allatiū *Syntagm. de Engaſtrimytho.* Et qvia mentis impotentes erant Pythonici Vates, non mirum hercle, qvod de Sibyllâ refert Heraclitus, multa Eam ὡς μαινομένῳ στόματι γελαστὰ καὶ ἀκαλλώπιστα φθεγγομένην viſam.

XV. Hoc idem in Primitivâ Eccleſia multâ cum cautione obſervatum ab orthodoxis, ad larvam impoſturæ Montaniſtis detegendam; ii qvippe Prophetiam crebrò jactabant, cum nihil tamen præter nudam ἔκστασιν mentisq; alie-

natio nem apud ipſos videre erat. Primum producam teſtem Clem. Alexandr. *Strom. I.* Ἐν δὲ τοῖς ψεύδεσι καὶ ἀληθῆ τινα ἔλεγον οἱ ψευδοπροφῆται, καὶ τῷ ὄντι οὗτοι ἐν ἐκστάσει προεφήτευον, ὡς ἂν Ἀποστάτου διάκονοι. Non abſimilia de Gentilium Πλάνοις memorat Svidas *in Voc.* Προφήτης: ἐκεῖνοι δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ἔν τισιν ἀληθεύουσιν, ἐν τοῖς πλείστοις διαμαρτάνοντες, &c. Tertullianus qvidem magnus Montani ejusq; in veſaniâ Sororum Maximillæ atq; Priſcillæ ὑπερασπιστὴς, licèt a furoris culpa Eos abſolvere nitatur, ab ἐκστάσει tamen non liberat. Sed ab ἐκστάσει iſta non abfuiſſe furorem & μανίαν diſertè indicat Hieronymus *Præf. in Eſai. Neq; verò, ut Montanus cum inſanis fœminis ſomniat, Prophetæ in Ecſtaſi locuti ſunt, ut neſcirent qvid loqverentur. Proæm. in Nah. Non loquitur Propheta in* ἐκστάσει, *ut Montanus & Priſca Maximillaq; delirant*, Item: *Nec ut amens loqvitur*, Propheta, *nec in morem inſanientium fœminarum dat ſine mente ſonum. Præf. in Habac.* Clariùs de Montani furiis Apollinarius apud Euſeb. H. E. Lib. 5. c. 16. ὅγε ψευδοπροφήτης ἐν παρεκστάσει ἀρχόμενος μὲν ἐξ ἑκουσίου ἀμαθίας, καταστρέφων δὲ εἰς ἀκούσιον μανίαν ψυχῆς. Sed omnium clariſſimè de Divinorum falſorumq; Vatum diſcrimine Chryſoſtomus, qvem non poſſum non addere: τοῦτο μάντεως ἴδιον τὸ ἐξεστηκέναι, τὸ ἀνάγκην ὑπομένειν, τὸ ὠθεῖσθαι, τὸ ἕλκεσθαι ὥσπερ μαινόμενον· ὁ δὲ προφήτης οὐχ οὕτως, ἀλλὰ μετὰ διανοίας νηφούσης, καὶ σωφρονούσης καταστάσεως, καὶ εἰδὼς ἃ φθέγγεταί φησιν ἅπαντα.

XVI. Dum autem hâc nota veros a falſis diſtinguimus Vates, non eô volumus ſerenam pacatamq; omni ex parte fuiſſe, inter Viſionum diverſa ſpectacula, Prophetæ mentem. Ex hiſtoria enim Prophetarum, ipſorumq; confeſſione qvid notius qvam influxum Propheticum comitari Panicos terrores & conſternationes. Ideo de ſe Daniel. c. X. 8. *Cum relictus eſſem ſolus, & viderem viſionem maximam*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

mam iſtam, non fuerunt reliqvæ in me vires, ſed decor meus immutatus eſt in me, adeò ut non ſupereſſent mihi vires. Paria ſunt, qvæ de horrore tenebrarum in Abrahamum poſt viſa ſopitum irruente ſupra attulimus. Paria Jeremiæ c. XXIII. 9. *frangitur cor meum in me, eliduntur omnia oſſa mea, ſum ut Vir ebrius & ſimilis Viro qvem ſuperat vinum, propter Jehovam, & propter verba ſanctitatis Ejus.* Qvem locum, licèt aliò trahere videatur R. Salomo, ad propheticam tamen ἐνέργειαν reducit Abrabaniel *in h. l.* Paria qvoq; Ezech. III. 14. Habac. III. 2. Eſ. XXI. 3. ubi internam mentis ſuæ conſternationem, qvæ ruinæ Babelicæ conſpectum ſequebatur, ita effert Propheta: *Idcircò implentur lumbi mei ægritudine, tormina corripiunt me, qvaſi tormina parturientis, contorqveor ex auditu, conturbor ex viſu.* Qvanqvam hic Jonathan Paraphraſta incuſſum Babyloni horrorem metumq; venturæ calamitatis opinatur. Illud volumus: Prophetas, non obſtantibus hiſce terroribus & concuſſionibus, tum certos de cæleſti hujus inſtinctus origine eſſe potuiſſe, tum etiam mentem Divinam ſat clarè perfecteq; intellexiſſe. Nam, ut nuper innuimus, proſcenium qvidem imaginatio, at intellectus ipſa ſcena erat in qvâ Vatibus Divinis futura repræſentabantur. Ac qvamvis hi ſpiritu DEi acti, nonnunqvam qvaſi extra ſe raperentur, &non vulgares, ſed inuſitatos ac peregrinos geſtus, motus & ſermones exhiberent, inſanientium more, (cum& pro inſanis habiti, 2. Reg. IX. 11.) agebant tamen & loqvebantur omnia *mente ſobriâ* ut notat Theophylactus ad 1. Cor. XII. 22. & fuſiùs Origenes *cont. Celſum lib. I. p. m.* 36. *edit. Cantabr.* Qvod ad originem Propheticarum revelationum, unde ipſis Prophetis conſtaret eſſe divinam, libet attendere Magiſtrorum ſententiam. Ajunt illi ſub initio afflatus Prophetici adſtitiſſe imaginem Angeli vel hominis; tum vocem audi-

tam aliqvando vehementiorem, aliqvando demiſſiorem, ut docet Rambam in *Mor.Nev.* P.II.c.44. Dictum eſt de Samuele, cum primùm ipſi ſe Numen revelaret, 1. Sam.III.7. טֶרֶם יָדַע אֶת־יְהוָה וְטֶרֶם יִגָּלֶה אֵלָיו דְּבַר־יְהוָה *nondum agnoſcebat Jehovam, necdũ revelatum Ei fuerat verbũ Domini*, ut rectè Tremellius, docente רש״י: טרם במקרא לשון עדיין לא שתרגומו עד לא *in ſcriptura* טרם i. *eſſe, qvod antehac non, vel nondum*. Non qvòd ignotus hucuſq; fuerat Samueli DEus, modô ordinariô ad ſalutem; ſed qvod Propheticum iſtum Divinæ apparitionis & allocutionis modum non adhuc expertus eſſet. Ita poſt ſuum τὸν πάνυ Rambam, prædictus Rabbi: עדיין לא היה מכיר ענין קול נבואה *hactenus non noverat vocis Propheticæ modum*. Item רד״ק in eund. l. כי עדיין לא ידע בחכמת האלהות אע״פ שלמד בשאר החכמות כי אילו למד בזאת החכמה היה מבין ומבחין בקול הנבואה: *nam hactenus non noverat*, DEum, *ſcientia Theologicâ* (ſ. Metaphyſica) *qvanqvam reliqvas ſcientias didicerat: qvod ſi enim iſtam ſcientiam calluiſſet, certè agnoſcere Propheticam vocem facilè potuiſſet*. Hanc vocem aliqvando vehementiorem, aliqvando tenuiſſimam leviq; ſimilem ſuſurro & qvidem Protoplaſtæ auditam Gen. III. 8. 9. ex verbis רוח היום eliciunt: eamq; Adamo factam in Prophetica viſione ſupponunt. Ita Nachmanides, בהגלות השכינה contigiſſe ait in ſuo *Biur in Legem*, & exemplis declarat Eliæ 1. Reg. XIX. 11. 12. Jobi. c. XXXVIII. 1. Qvibas addi poteſt Ezech. IX. 1. Qvid qvod, & N. Teſt. prophetia, ſive Apocalypſis, ſimili voce præcentrice ubiq; ferè perſonat. Talis *ſonus buccinæ* Apoc. I. 10. IV. 1. *tonitrui fragor* c. VI. 1. VIII. 5. *rugitus Leonis*, vel *mixta fulminibus tonitrua* c. X. 3.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

XVII. De Angelo humanâ formâ viſionis comite & interprete qvod diximus, præter Scripturam habet qvoq; Autores Ebræorum plurimos; in primis Maimonidem ſæpius laudatum *Jeſud. Hattor.* הנבואה היא השפע שיגיע מהבורא לנביא במציעות המעלה האחרונה ממעלות המלאכים והיא מעלת אישים: *Prophetia eſt influxus promanans a DEo in Prophetam, interventu Angelorum ultimi gradus, qvi ſunt Iſchim.* Ubi ſomnium Rabbinicum de אישים Angelis, ut qvod & nihil ad rem, faceſſere jubeo. Nec medium me interponam inter Cadmeos fratres רמב״ם & רמב״ן Maimonidem noſtrum & Nachmanidem, qvi adverſis hic inter ſe dimicant telis. Hic ex catalogo Prophetarum omnes excludit, qvibus Angeli apparuerunt: ille contra nullam prophetiam, exceptâ Moſis, niſi Angelorum miniſteriô oblatam contendit, tam in lib. alleg. qvàm in *Mor. Nevoch.* Talmudiſtarum qvoq; μάχαιρα hanc Doctorum ſuorum μάχην οὐκ αἴρει diſtingvendô inter Angelorum *reales* & *imaginarias* ὀπτασίας; ac ſi de primo genere vera loqveretur Gerundenſis, de ſecundo Ægyptius. Reales enim Angelorum viſiones, qvæ pio homini, digneq; præparato & inſomni obveniunt, ad eum gradum pertinere, qvi viſionibus imaginariis Prophetarum inferior ſit, blaterant Nugivenduli, ut videre eſt apud R. Jehudah Levit. *in Lib. Cozri*, (qvem verſione & notis auxit Buxtorfius Fil.) *Maam.* 3. Nec aliter ſe explicat ipſe Moſes Gerundenſis in ביאור על התורה Gen. XVIII, Danielem idcirco numero Prophetarum eximens, qvòd cum Angelo Gabriele vigil vidensq; egerit. Ubi tamen expreſſam, de Viſione Danielis ſomno conjunctâ aut certè terminata, relationem Dan. X. 9. VIII. 18. audacter eludit. Vid. Jachiad. Paraph. in Dan. VII. 1. At præter Moſen Ægyptium R. Bechai in *Paraſcha Teruma*, ſive in Exod. XXV,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

non aliter, qvam de fidei qvodam articulo, certum eſſe aſſerit, nunqvam absq; Angelorum miniſterio traditam expoſitamq́; Prophetiam, adeo ut, qvi id neget, ipſam deſtruat Prophetiam. Nunc verò caſtigandus nobis eſt Kimchius *in* 1. *Sam. III.* 8. ubi hæc commentus eſt: הבין עלי כי קול מלאך יְיָ היה וגו׳ *Intellexit Eli, vocem eam fuiſſe Angeli DEi*, ſc. qvæ ter Samuelem compellaverat. Majorem in Kimchio cautionem deſidero: qvis enim Angelum Samueli locutum credet, vel de Angelo ſuſpicatum Eli, qvi Samuelem ita inſtruit: וְאָמַרְתָּ דַּבֵּר יְהוָה & mox v. 10. וַיָּבֹא יְהוָה וַיִּתְיַצֵּב וַיִּקְרָא? Qvin totus textus reclamat non Angelum Samueli auditum, ſed ipſum DEum, cujus proprium nomen יְהוָה nulli creaturæ abſolutè, h. e. extra compoſitionem, competere certi ſumus, ſed ſoli DEo Exod. III. 15. Eſ. XLII. 8. Pſ. LXXXIII. 19. Conſentiunt Rabbini apud Men. Ben Iſrael *Conc. ad Ex.* 11. *qv.* 3. Conf. Gerhard. *Exeg.* p. 623. Dorſchæi *Diſſert. de Nomine Dei* ἀκοινωνήτῳ καὶ ἀνεκφωνήτῳ *Jehova* th. 15. ſeq. Dannhaweri *Chriſtoſ. ſect.* 1. *art.* 1. Multò ergò ad h. l. ſaniùs Aben-Ezra, ipſo citante Kimchio: קול הנבואה היה הקבה משמיע אותו וגו׳ *fuit vox Prophetica DEi ſonum edentis.* Scimus non ſemper, ut ut plerumq́;, ad propheticam viſionem Angeli imaginem vel præſentiam concurriſſe, & ipſe id Kimchius alibi tradit *Præf. in Thillim*, cujus verba hic inferre, qvia prolixa ſunt, ſuperſedeo. Ipſum DEum ſive potius Filium DEi, hominis formâ κατ' οἰκονομίαν indutum, cum Patribus locutum eſſe nullus dubito, & probat e Scripturis Juſtinus Martyr in ſuo *cum Tryphone Dialogo*; Item Hilarius *lib. IV. de Trin.* Nazianzenus *or.* 2. *de Theol.* Euſebius *lib. V. Demonſt. Evangel.* Theodoretus *Qu.* 68. *in Geneſ.* & alii. Ut de recentioribus,

præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

præſertim noſtris, nihil dicam. Unde & Angelus pluribus locis nuncupatus. Veruntamen, freqvens Angelorum in Prophetiis miniſterium fuiſſe, Ebræis facilè concedimus. Eſaiæ unus ex Seraphim labia purgavit c. VI. Zacharias, & Ezechiel qvid aliud qvàm cæli commercia habebant? ſæpè inter Angelos eſſe ſe cernunt, loqvuntur cum iis, populorum fata diſcunt. Danielem inſtruxit Gabriel, eiq; viſionem explicuit Dan. IX. 21. VIII. 16. (Valeat ergò Maimonides cum ſuis *Iſchim*, inferioribus, ut nugatur, Angelis.) Imò univerſa propè Danielis Prophetia Angelis miniſtrantibus revelatur. Major ſiqvidem proportio inter hominem & Angelum, qvàm inter hominem & DEum, cujus tremendam Majeſtatem *nemo videre poteſt & vivere* Exod. XX. 20. XXXIII. 20. Sic Jachiades in Dan. X. 10. יַד נָגְעָה בִּי' היתה היד הזאת יד והשפעת המלאך אשר באמצעותו: παραφθέγζει היה החזון לבלתי סבלי ראות פני האלהים: Conſt. l'Empereur vertit: *fuit iſta manus, manus & influentia Angeli, cujus interventu erat Viſio, qvia DEi aſpectum intueri non ſuſtinebam.* Vid. Cluver. *in Apocal. c. I. p.* 10.

XVIII. Sed ad viam, unde paulum digreſſi ſumus revertamur. Vel nullô præſente ex cælis Angelo de Prophetiæ ſuæ veritate & origine divinâ dubitare neqvaqvam potuere S. Vates. Ea enim ſecum interna κριτήρια afferebant oracula Numinis, eum vigorem, eam vim & majeſtatem, ut Jeremias cum *palea* Pſeudo-propheticas illuſiones, cum *criticô* cæleſtes inſpirationes comparet. Noverat is certè qvantum diſtarent æra lupinis: *verbum meum ut ignis, dictum Jehovæ, & ſicut malleus diffringens petras* Jer. XXIII. 28. 29. Conf. c. XX. 9. 10. Pſ. XIX. 8. CXIX. 105. & alia, qvæ paſſim huc adhibentur a Theologis. Ideò Maimonides: כל הנבואה תודיע לנביא שהוא נבואה *Omnis prophe-*

phetia Prophetantem de ſua veritate ipſa convincit. Planè ſicut Johannes 1. Ep. V. 6. τὸ πνεῦμά ἐςι τὸ μαρτυρῶν ὅτι τὸ πνεῦμά ἐςιν ἡ ἀλήθεια. Manifeſtiùs & ad noſtram mentem accommodatiùs Abrabaniel *Pir. in l. c. Jer. XXIII.* יבדל הנביא בהיותו ישן בין החלום הנבואיי לאשר אינה נבואיי הכל בפי חוזק ההרגש i. e. *Diſcernere licet in ſomno Vati, an ſomnium ſit propheticum vel ſecus, ex vigore &* δυνάμει, qvæ rebus propoſitis ineſt ad eas percipendas. Deinde ad verba Jerem: הֲלֹא כֹה דְבָרִי כָּאֵשׁ נְאֻם יְהוָה וּכְפַטִּישׁ יְפֹצֵץ סָלַע ſic ſcribit: כן הרוח הנבואה בחוזק הרגשו והפלגת הפעלותו בלב הנביא *Tale qvid eſt ſpiritus Propheticus, per virtutem impreſſionis, vimq; operationis in animo Prophetæ*. Conf. R. Sel. Jarchi in l. c. Multa ejusmodi ſunt apud Ebræos Doctores, qvos ſingulos hic loqventes introducere non vacabit. Optimè inter Patres Gregorius Magnus *l. IV. Dialog. c.* 48. *Sancti Viri inter illuſiones atq; revelationes, ipſas viſionum voces atq; imagines qvodam intimô ſapore diſcernunt, ut ſciant, vel qvid a bono Spiritu percipiant, vel qvid ab illuſore patiantur*. Gregorium κατὰ πόδας feqvirur Th. Aqvinas, *2dâ IIdæ qvæſt.* 171. Nec malè Cajetanus *in II. 2dæ art. I. qu.* 1. *dub.* 4. *locutio qvævis humana (qvid ni divina) dicit & notificat audienti non ſolùm aliqvid aliud, ſed & ſeipſam*. Qvæ cum ita ſint, non multis opus eſt, ut demonſtretur, Prophetas divinarum prædictionum licèt αἰνιγματωδῶς non raro exhibitarum genuinum ſenſum cognitum ſibi perſpectumq; habuiſſe. Qvare cum grano ſalis accipiendus Auguſtinus *de Civ. DEi* l. VII. c. 22. Chriſtum *per qvosdam ſcientes, per qvosdam neſcientes pronunciatum* eſſe aſſerens. Ad qvæ verba Lud. Vives liberiùs qvàm feliciùs annotat: *Prophetas non omnes ſua vaticinia intellexiſſe, nec, qvi intelligebant, omnia intellexiſſe*.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

xiſſe. Apertus in docto homine error; cujus Annotationes aliæ auro contra nobis cariores eſſe debent. Nam fatemur qvidem non raró profanis atq; impuris hominibus infuiſſe Propheticum Spiritum, qvi nec ejus effecta dignoſcebant, nec (ut utar Gregor. M. lingva *Expoſ. Mor.* in Job. XXXVI.) *ad promerendam ſanctitatis gloriam pertingebant*, ita *ut ſupra ſe loqvendo eminerent, & infra ſe vivendo torpeſcerent.* Tranſiit per eos Divina revelatio, ut per tubum lympha, aut ſonus per fiſtulam, nullâ relictâ rerum apprehenſione, aut fructu mentibus impreſſô. Qvod liqvet documento Cajaphæ & præſertim Balaami Magi, (qvos per *neſcientes* vero ſimile intellexiſſe Antiſtitum Antiſtitem:) Ita enim de hoc Judæi: נבא ברצון אלהים ולא ידע מנבא' *vaticinatus eſt ex voluntate divina, vaticinium non intellexit.* Et optimum de ejusmodi profanis Oraculorum S. organis eſt judicium Baſilii *Cat. in Eſai.* ὀ ψυχῆς καθαρότης ἐνταῦθα, οὐδὲ διαύγεια νοῦ ἐνωρῶντος εἰς Θεὸν καὶ τὴν ἐκεῖθεν δύναμιν σπῶντος, ἀλλὰ οἰκονομικὸς ἐν αὐτοῖς ὁ λόγος, οὐ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἀλλὰ πρὸς τὸν καιρόν. Nec aliter inter Gentiles Dæmon, ſuis μάντεσιν abuſus, res multas loqvebatur, nec ipſis nec aliis intellectas. Veri autem DEi Vates, licèt vehementibus ſubinde impulſibus agitarentur (ut ſupra monitum;) magis tamen id factum ad excitandam vim imaginatricem, qvàm ad uſum rationis & intellectum interpellandum. Neutiqvam en. exiſtimandum, fuiſſe mentem eorum extra ſe raptam, planè uti impos ſui eſſet, atq; ut ipſi ea neſcirent, qvæ loqverentur; non mentis ecſtaſis in illis, non animorum alienatio raptuſve fuit. Liceat huc accommodare ἀξιομνημόνευτον Pauli: πνεύματα Προφητῶν Προφήταις ὑποτάσσεται 1. Cor. XIV. 32. qvod ſecus eſſet, ſi frena morderent, & rectores ſuos raperent ferrentq; extra rerum terminos. Montani iſtæ in Prophetas monſtroſæ calumniæ retunduntur in Pſeudo-Vatem ab Epi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

phanio *Hær.XLVIII.p.m.*176. ὁ προφήτης, ait, μετὰ καταστάσεως λογισμῶν καὶ παρακολουθήσεως ἐλάλει, καὶ ἐφθέγγετο ἐκ πνεύματος ἁγίου, τὰ πάντα ἐῤῥωμένως λέγων, & poſtea: γεγόνασι δὲ ἐν ἐκστάσει οἱ προφῆται, οὐκ ἐν ἐκστάσει λογισμῶν. Neceſſarium omnino erat, ut de Legationis ſuæ veritate & autoritate divinâ plenè eſſent confirmati; aliàs, qvî fieret ut aliis perſvaderent oracula ſua eſſe αὐτόπιστα, ſi ipſi in dubio hærerent. Ideoq; credibile eſt, eâdem via, qvâ res qvæſtionibus & dubiis maximè obnoxiæ tradebantur, traditam unà fuiſſe Vatibus, ſecreta Spiritus informatione, earundem firmiſſimam fidem & cognitionem. Celebre eſt, illud Meſſiæ Matth. XIII. 17. πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε καὶ οὐκ εἶδον, &c. Sanè deſiderare non potuere, qvæ penitus ignorabant: ignoti nulla cupido. Res qvidem præſentes oculis cernuntur, qvod illis non contigit; at futuras mente intuiti ſunt. Manichæos deniq; antiqvos in hac cauſa turpiſſimè obſtrepentes, & vitam doctrinamq; Prophetarum iniqviſſimè culpantes, glorioſo Auguſtini triumpho relinqvimus, qvem vide *cont. Fauſt. lib. XIII. c.*12.13. *Similiter* Baſilidem, qvi nugaciſſimè mentitus eſt Prophetiam non a DEo eſſe ſed ab Angelis, jam exploſimus. Gnoſticorum verô deliria de VII. Virtutibus ſive Seculorum Conditoribus, qvorũ ſingulis ſuos affingunt Prophetas ex iis qvi θεόπεμπτοι fuere, meritò deridemus cum Irenæo *Lib. I. c.*34. Cæterùm, cur ænigmatibus & ſymbolicis notis tam multa apud Prophetas involvuntur, duplicem invenio in Theodoreto cauſam, & utraq; valde placet: *unam* ἵν᾽ ἀγνοοῦντες οἱ ἀκούοντες τὰ λεγόμενα, σπουδαιότεροι περὶ τῶν τούτων γένωνται ζήτησιν, *Interpret. Ezech. c. XVII. 2. Alteram:* ἵνα μὴ τῷ φθόνῳ συνήθως δουλεύοντες Ἰουδαῖοι, καὶ τοῖς ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς ἐπιβουλεύειν τολμῶντες, τὰς ταῦτα σημαινούσας ἀφανίσωσι βίβλους.

XIX. Seqvitur jam tertius ultimusq;, ad Magiſtrorum

rum ſententiam, Divinæ revelationis gradus, qvem רוח הקודש *Spiritum S.* appellant: Qvando divinum Numen, non per viſiones & ſomnia, nec diſcompoſito corporis animiq; ſtatu, & imaginatrice prædominante facultate, ſed dum animo ſuum conſtaret robur, ſuusq; ſenſibus vigor, mentem ſuam Vati pacatiſſimô modo clariſſiméq; inſpiraret. Sed ventum jam eò eſt, ut qvos in re intricatiſſimâ hactenus ut Duces ſeqvi non erubuimus, poſthæc ut cæcos & deliros deteſtemur. Et qvidem multas in hoc negocio lites nobis intendunt Verſipelles, qvarum tamen potiores facili opera diſcutiemus. Incipiamus a deſcriptione, qvam talem exhibet Kimchius *Præf. in Pſalmos:* רוח הקודש הוא שיראה ה האדם השלם מתעסק בדברי האלהים שלם בכל הרגשתיו לא החבטל אחד מהן ומדבר מה שמדבר בדרך בני אדם אלא שמעוררת אותו רוח עליוני ותופיע חרברים על לשונו דברי שבח והודאה לאלהיו דברי שכל ומוסרין גם ידבר על העתידות בסיוע האלהי כחו המדבר qvæ ſic vertimus: *Spiritus S. dicitur, qvando videt (*propheticè*) homo, qvi totus meditationibus divinis occupatur, & omnibus mentis ſenſuumq; facultatibus perfectè utitur; atq; loqvitur qvidem more humano, ſed excitante ipſum Spiritu divino, & verba lingvæ ipſius adaptante, verba ſc. laudis & confeſſionis, eruditionis ac diſciplinæ: deniq; & futura ſubinde prædicit, dirigente rationem ejus Numine.* Idem ferme Bechajus *in Lev VIII. 8.* רוח הקודש הוא שלא תתבטל אחת מהרגשותיו והוא מדבר ככל אדם אבל יעורר אותו רוח עליוני ויופיע הדברים על לשונו *Spiritus S. eſt, cum, nullo ſenſuum deficiente, loqvitur homo ut ſolent alii, ſed excitante eum ſuperiore ſpiritu, verbaq; linguæ adaptante.* Nec aliter Maimonides Mor. Nev. P. II. c. 45. & R. Albo (qvem *Nigrum* ſui dicunt, qvod communem ſententiam de characterũ Ebraicorum antiqvitate denigrare videatur,) *Ikkarim,*

Maam.

Maam.3 .c.10. niſi qvod hic affirmare auſit, Vatem ignorâſſe, unde iſta ſibi veniret facultas, & inſtar infantis, cum primùm balbutire incipit, unde hoc habuerit neſciviſſe. Futilis hæc opinio, anſam nobis dedit ſuſpicandi, Judæos Spiritũ S. hujus prophetiæ immediatam cauſam, non pro tertiâ SSanctæ Trinitatis Perſonâ accepiſſe, ſed pro habitu aliqvo pietatis & ſanctitatis, qvi animis Vatum inſederit. Nec id ſuſpicarer profectò, ſed crederem planè, niſi ipſe Albus, velut ſui oblitus, paulò ante dixiſſet: hanc prophetiam *januam eſſe* שלא ישער בו האדם מצד טבעו *per qvam nemo ingredietur per vel propter naturalem ſuam habilitatem.* (Qvod Bernhardus autem *de modo bene vivendi Serm. X.* voluerit *Annam Samuelis Matrem per compunctionem & lacrimas obtinuiſſe apud DEum Prophetiæ donum*, id hic obiter noto pro iſtius ætatis inſcitia excuſandum.) Interim de Judæis hæc eadem ſuſpicio fuit non paucis neq; infimæ notæ Viris Pet. Molinæo *de Vate*, Fabricio *Partit. Cod. Bibl.* Conſt. L'Empereur *in Paraph. Jachiad.* & noſtris Gejero *Proleg. in Dan.* Heervarto *Pauli Raptu*, &, qvem primò debuiſſem nominare Glaſsio *Diſſ. I. Pſ. CX.* qvem indubium ſic loqvi comperio th. 45. *Neq; enim per modum hunc patefactionis Spiritum S. diſtinctam illam tertiamq; SS. Trinitatis Perſonam,* τριαδομάχοι *ille intelligunt.* Ita, cui maximam inter Magiſtellos reliqvos fidem habemus, Majmonis filius *Mor. Nev.* l. II. c. 45. Autores Hagiographorũ docet non fuiſſe propriè & perfectè Prophetas, qvaſi cum S. qvidem Spiritu locuti ſint, ſed non per Spir. S. ut alii Prophetæ, atq; ideò a cætu reliqvorum ſecluſos. Qvas apage blaſphemias! Hoc extra aleam dubitationis eſt, opinari Judæos de Canticis & Hymnis, qvotcunq; ſcripturæ canone comprehenduntur, inter כתובים ἁγιόγραφα repoſitis, qvod ab ipſis Scriptoribus, ut primis Autoribus, compoſiti dictatiq; fuerint,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

fuerint, ut ut tamen non defuerit Divini Spiritus adjutorium, ceu cauſa externa & ſecundaria. Qvod expreſſè fateri Abrabaniel non erubeſcit *Piruſch. in Eſ. IV.* ubi ſimul impudenter aſſerit: כל שירה שתמצא בדברי הנביאים וכו׳ אינה מפעל ה׳ כי אם מפעל הנביא הסודר אותה *Nullum canticum, in omnibus Prophetarū Scriptis & hagiographis, eſſe Divini operis, ſed eſſe ipſius Prophetæ, qvi id compoſuerit.* Licèt poſtmodū idem Doctor, ut videatur cum ratione inſanire, addat: שילוה אליו רוח ועזר אלהים *adhæſiſſe ſemper Prophetæ Spiritum auxiliumq; Divinum.* Fundamentum autem, cui hanc doctrinā ſuperſtruit, hoc præcipuū eſt *ibid.* לכן יחסה כתיב תמיד אליהם לא לשם יתברך כי הנה אמר בשירת הים אז ישור משה וגו *Ea eſt cauſa, cur ipſis* Prophetis, *non Deo, hæc cantica attribuit Scriptura, qvia dictum eſt de Canticô maris rubri Exod. XV. Tum Moſes & populus Iſrael cecinerunt hoc canticum. Et ſic qvoq; Num. XI. 17. Deut. XXII. 46.* En verò ineptias Verpi! qvas proſtituiſſe meliori luci, eſt refutâſſe. Plura exhiberem, niſi & non neceſſum videretur, & brevitati conſulerem. Si ita eſt, ſanè Gentiles de ſuis ἐνθουσιασμοῖς (qvos ita dictos innuit Svidas, ὅταν ἡ ψυχὴ ὅλη ἐλλάμπεται ὑπὸ Θεοῦ) multò ſanctiùs, qvam Judæi de ſuo רוח הקודש exiſtimaſſe cenſendi. Proclus *Comment. in Plat. Tim. lib. 5.* ὁ χαρακτὴρ ἐνθουσιαστικὸς διαλάμπων ταῖς νοεραῖς ἐπιβολαῖς, καθαρὸς τε καὶ σεμνὸς ὡς ἀπὸ Πατρὸς τελειούμενος τῶν Θεῶν, ἐξηλλαγμένος τε καὶ ὑπερέχων τῆς ἀνθρωπίνων ἐννοιῶν, ἁβρὸς τε ὁμοῦ, καὶ καταπληκτικὸς, καὶ χαρίτων ἀνάμεστος, κάλλους τε πλήρης, καὶ σύντομος ἅμα καὶ ἀπηκριβωμένος.

XX. Sed non intra hos terminos conſiſtit Recutitorum perverſus error. Notiſſimæ ſunt, qvas ii ex triplici ſua prophetiæ diſtinctione effinxerunt, claſſes, qvibus omnes V. T. canonicos libros comprehendunt, תורה נביאים כתובים *Moſes, Prophetæ & Hagiographa.* Qvam qvidem S. Co-

 dicis

dicis partitionem non eſt qvod improbemus, ipſò eam Chriſto ſuis dignato eloqviis Luc. XXIV. 44. ubi per ψαλμοὺς facilè credimus deſignari ἁγιόγραφα, qvorum θεόπνευστοι Autores non abs re ψάλται nominari poſſunt, ut poſthæc indicabimus. Ad Hagiographa referunt hos ordine libros: Cantica, Ruth, Threnos, Eccleſiaſten, Eſter, Pſalmos, Proverbia, Jobum, Danielem, Ezram, Nehemiam, Paralipomena, ut videre eſt in *Talm. Gem. Bava Bathra* c. 1. circa fin. Verùm ut ut Judaicam hanc τοῦ רוח הקודש ad certas aliqvot Scripturæ partes accommodationem eximiis Viris placuiſſe videam, Druſio *Annot. in Matth. XXIV.* 15. Reineſio *Lib. II. Var. lect. c.* 13. Hornejo *Diſſ. II. de Verb. DEI* Sect. 1. §. 5. aliis; fateor tamen me nullam hucusq; vidiſſe rationem cur cum illis ſentiam. Quin potiùs, ubi tam ὑπούλως ſuæ ὑποθέσει δουλεύουσι Judæi, reclamare fas ſit Chriſtianis meliora edoctis. Qvodſi verò id ſolum intenderent, כתובים *ſcriptos* (ſc. per Spir. S. ſicut ellipſin hanc ſupplendam ex Kimchio notavit Druſius *in Præter. ad Matth. XII.* 36.) vocandos eſſe illos Libros, qvi poſt captivitatem exarati, atq; coram arca fæderis aſſervati haud fuerant, uti id emollire vult Junius *Proleg. in Dan.* p. 767. tolerabilis forte error eſſet. Verū ceſpitationem hic in Junio notavit Rivetus *præf. in Oſ.* eò qvòd Job, Pſalmi & Proverbia inter כתובים numerentur ab Ebræis, qvæ tamen omnia captivitatem anteceſſerunt. Stabit illud Pauli πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, 2. Tim. III. 16. & Petri: Πᾶσα προφητεία γραφῆς οὐ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ, ἀλλὰ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι 2. Pet. I. 20. 21. Item Act. I. 16. ubi idem Apoſtolus Pſalmos appellat γραφὴν, ἣν προεῖπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ στόματος Δαβίδ. Judæos ibidem alloqvitur, licèt profeſſione Chriſtianos, ut exinde conjicere liceat, nihil tum temporis de Enthuſiaſticô Spiritu, qvem ſeqviores hagiographis ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

adſcripſere, ſomniatum fuiſſe. Iſte enim S. Spiritus, cujus ductu vaticinabatur David, erat רוח יהוה *Spiritus DEI*, ipſe DEus 2. Sam. XXIII. 2. 3. Conf. Matth. XXII. 43. Mirari adeoq; ſatis neqveo, qvid eam in credulitatem Reineſium impulerit, ut cenſuram hanc urgere Viros Synagogæ Magnæ conqveratur. Scio Judæos id iis Autoribus imputare, ſed & ſcio gratis imputare. Nec qvicqvam ea de re apud Cl. Seldenum *de Vet. Ebr. Synedriis* prolixè agentem reperio. Res eò redit: licèt graduum Prophetiæ vel donorum diverſitas non negetur, incongruè tamen Spiritus S. contradiſtingvitur Prophetiæ, utpote ſine qvo nulla unqvam Prophetia allata eſt. Et qvid qvæſo diſcriminis eſt inter Libros Hiſtoricos, ut Prophetis accenſeantur Hiſtoriæ Joſvæ, Judicum, Samuelis, & Regum; τοῖς ἢ כתובים ſ. Hagiographis Ezra, Nehemia, & Libri Chronicorum? Qvid differt ab Ezechiele Daniel? Nonne utriq; viſi fuere Angeli, auditæ voces? Hunc ajunt per Spiritum S. ſua myſteria edoctum; & qvidni illum, ipſomet id prædicante Ezech. II. 2. III. 24. VIII. 3. XI. 1. 5. 24. XXVII. 1. Ridiculum!

XXI. Sed de Daniele potiſſima nobis cum Judæis controverſia, de qvo ecqvid mirum tam frivolè loqvi, qvos erroris ex eòdem clariſſimè convinci poſſe demonſtrat Hieronymus *præf. in Dan.* *nullum* ajens, *Prophetarum tam apertè dixiſſe de Chriſto, qvàm Danielem, qvi non ſolùm ſcribit Eum eſſe venturum, qvod eſt commune cum cæteris, ſed etiam, qvo tempore venturus ſit, docet, & Reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifeſtiſſima ſigna prænunciat.* De reliqvo, qvid eorum calumniis ſit reponendum, oſtendunt Cunæus *de Rep. Ebr.* l. III. c. 7. Gejerus *Comm. in Dan.* Mullerus *Judaiſm. ref. p. 23. ſeqq.* Polanus *Proleg. in Dan.* aliiq; infiniti. Ipſi eandem telam, σὺν Θεῷ παλάμᾳ,

 publi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

publicè retexemus. Sed agedum! Judæos levi qvâdam velitatione committamus cum Judæis. Negant Danielem fuiſſe Prophetam, & ecce tamen Maimonidem, qvem unum in gente ſuâ minimè nugari novimus, *Mor. Nev. P. II. c. 45.* דניאל ותלים ומגלת רות ומגלת אסתר הכל ברוח הקודש נכתבו ואלו גם כלם נקראו נביאי׳ בכלל, *Daniel, Pſalmi, Volumen Ruth, Volumen Eſter, per Spiritum S. ſcripta ſunt omnia, & tamen eorum Autores omnes vocantur Prophetæ in genere. In genere* adjungit, ne communem de Prophetiis in ſpecie, qvoad gradus, diſtinctionem deſtruat. Porrò negant Danielem eſſe Prophetam τεχνικῶς & ſtrictè ſic dictum, & nihilominus negare non auſint, eadem omninò Danieli affuiſſe, qvæ in reliqvis agnoſcunt Prophetis. Namq; qvatuor Prophetarum reqviſita recenſet laudatus Doctor, qvorum bina adducere ſufficit, 1. cum ſermonem ſibi in ſomnio vel viſione per Angelos factum dicunt, 2. Cum verborum Angeli meminerunt, nullâ addita viſionis aut ſomnii mentione; & inde concludit: כל מה שיבא על אחת מאלה הארבע צורות היא נבואה ואומרו נביא, *qvicqvid uno qvatuor horum modorum accidit, prophetia eſt, &, qvi id dicit, Propheta.* Jam verò Dan. VII. 1. 16. VIII. 2. 16. 17. *primus* modus occurrit, Dan. IX. 21. *ſecundus*, ut probare nititur Conſt. L'Empereur *in Jachiad. p. 4. 5.* Negant a Daniele conſcriptam Prophetiam (Vid. *Præf. Jachiad.*) negant idem de Ezechiele, & cur tamen hic potiùs inter τοὺς נביאים cenſendus, qvam iſte? Legitur in *Gem. Bav. Bathra* c. I. de utroq: ואיני יודע למה לא כתבו יחזקאל בעצמו עם לא מפני שלא נתנה נבואה ליכתב בחוצה לארץ וכתבוה לאחר שבאו לארץ וכן ספר דניאל *Nec ſcio, cur non ſcripſerit eum ipſe Ezechiel, niſi cauſa ſit, qvod data non fuerit Prophetia ad ſcribendum extra terram* ſanctam, *ideoq;* (Viri Synagogæ magnæ) *ſcripſere eam* (prophetiam)

poſt-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

poſtqvam reduces facti erant in terram: & ſimiliter ſe habet cum libro Danielis. Perſolæ nugæ! Nos eadem divinæ inſpirationis κριτήρια fallere neſcia in Daniele, qvæ alibi in Prophetis, conſpicimus. Adde teſtimonium de Autore Ezech. XIV. 14. (futilitates Joviniani de puerô Daniele exploſit Hieronymus *lib. I. cont. Jovinian.* ut eſt apud Sixt. Sen. *Biblioth. p.* 810.) teſtimonium Filii DEi Matth. XXIV. 15. Marc. XIII. 14. coll. cum Dan. IX. 27. Sed & Flavius Judæus, qvi J. Scaligero φιλαληθέστατος audit, Eum ἕνα τῶν μεγίστων προφητῶν appellat, *Antiqvit. lib. X. c.* 12. Imò ipſi Talmudiſtæ in *Maſſech. Sanhedrin c.* 11. (citante Voiſin Pug *fid. p.* 236. ubi tamen nihil ejusmodi habetur: ſed ſunt ea verba in *Maſſech. Megilla Gem.* c. 1.) Eum *præſtantiorem* faciunt *Haggæo, Zachariâ, Malachiâ Prophetis.* De αὐτοπιστίᾳ Danielis verè Prophetica ſatis hæc, ut opinor.

XXII. Præter Codices Scripturæ modò recenſitos, aliæ qvædam ſunt Prophetis & Hiſtoricis ſacris intertextæ portiunculæ, utpote Hymni & Cantiones euchologicæ & eucharisticæ, qvas Hagiographis ſ. כתובים Judæi accenſent. Rationem hanc reddunt, qvòd, qvanqvam a Prophetis, propriè ſecundùm eorum hypotheſin ita dictis, conſignatæ ſint, a nulla tamen viſione apocalypticâ, qvam illi Prophetis propriam vendicant, reſultârint. Siqvidem vulgaris eos dudum pervaſit Traditio, eosdem Prophetas non ſemper eundem attigiſſe Prophetiæ gradum, ſed modò ſublimiori modo humiliore viâ ad Divinorum oraculorum ὑπέρεγημα inceſſiſſe. Qvod non obſcurè innuit Abrabaniel: P*iruſch. in Eſ. IV.* ינבא עת אחר בצורת מדרגה עליונה וברוח קודש בלבד' *Eundem Prophetam aliqvando ad formam ſuperioris Prophetici gradus, aliqvando tantùm per Spiritum S. prophetâſſe.* Sed gratis hæc dicta; cujus furfuris plura ex

eodem Autore jam ante §. XIX. exhibuimus. Qvia verò dictum a nobis fuit §. XX. τὰ ἁγιόγραφα a Pſalmis, ut potiore parte, denominari, eorumq; Autores θεοπνεύστους non incommodè ψάλτας poſſe appellari; illius rei ratio nunc breviſſimè indicanda ſupereſt. Conſulemus prius unum alterumve Scripturæ locum, & deinde, ſi qvid lucis ex Ebræorum Commentariis accedere poterit, tota res faciliùs patebit. Memoratur de Rege Pſalte 1. Chron. XXV. 1. ſeqq. qvòd ad ἱερουργίαν ſeparaverit qvosdam ex filiis Aſaphi, Hemanis, & Jeduthuni, qvi *prophetarent citharis*, &c. הַנִּבִּיאִים בְּכִנֹּרוֹת (in voce הַנִּבִיאִים notat Maſora יתיר י׳ *Jod eſſe ſuperfluum*) hoc eſt, vel hymnos ab Ἱεροψάλταις compoſitos & publici juris factos, muſicis organis populo præcinerent, adaptatis metro inſtrumentorum ψηλαφητῶν ſeu κρουστῶν modulis, qvod ex inſcriptione qvorundam Pſalmorum למנצח בנגינות מזמור לדוד & Hab. III. 2. poſt Druſium *l. III. Obſerv. c.* 18. & Gatakerum *Cinn. c.* 10. colligit D. Gejerus *in Pſalm.* Vel qvòd medios inter pſallentium choros, qvidam ex Choragis peculiari Divini Spiritus inſtinctu divinas laudes & res qvandoq; futuras proponerent. Qvam poſteriorem ſententiam, licèt a priore, tantis Viris præeuntibus, haud diſſentiam, utraq; cum habeat ſua fundamenta, præſenti in negocio amplector. Nam non ineptè videtur mihi hoc evinci poſſe ex particula ב præfixa, qvam, etiamſi hic communiter *in, per, cum* vertant Inrerpretes, ſæpiſſimè pro *inter* uſurpari monſtravit in Pſ. LXVIII. 18. LXXVIII. 6. XCIX. 6. CV. 27. CX. 6. CXXII. 1. Gejerus, & aliàs in reliqvâ Scriptura non ſine laude nominandus noſter D. Noldius accurat. opere *Concord. Partic. Ebr.* ut ſenſus ſit, ad muſicam inſtrumentorum harmoniam, & ſvaviſſimum concentum excitatos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

tos Vatum Spiritus divinis afflatibus patuiſſe. Qvæ mens fuit R. Salomoni *in l.c. Chron.* כשהיו מנגנים בכלי שירי׳ חללו היו מתנבאים דוגמא באלישע קחו לי מנגן ויהי כמנגן המנגן ותהי עליו יד יי׳ *Cum muſicis inſtrumentis canebant, prophetabant, ad exemplum Eliſæi, dicentis* 2. *Reg.* III. 15. *adducite mihi fidicinem, & pulſante fidicine, aderat ei manus Jehovæ*, ſ. Spiritus Propheticus. Caligant utiq; in meridiana luce, qvi hujuſcemodi Prophetas ſolô Cantorum officio functos autumant. Certè qvi inter eos principem locum tebant, videlicet Aſaph, Heman, Jeduthun, diſertè חוזי הַמֶּלֶךְ nuncupantur 1. Par. XXV. 5. 2. Par. XXIX. 30. & XXXV. 15. Nec latum unguem a Scriptura diſcedit Jarchius: כל אחד ואחד היה חוזה *unusqvisq; eorum erat Propheta.* Præterea multi Pſalmorum, qvi Davidis vulgo ſub nomine veniunt hiſce Autoribus debentur; poſt Pſ. LXXII. undecim a Spiritu S. adſcribuntur Aſapho, LXXXVIII°. Hemani, ſeqvens Ethano, nonnulli Jeduthuno, & Anonymis longè plurimi. Diverſos proinde Autores Pſalmorum, qvi uno volumine compinguntur, rectè notavit Kimchius *Præf. Pſalm.* Non tamen neſcio, quid reponant alii, Pſalmos eosdem non iis Autoribus inſpiratos eſſe, ſed a Davide ſaltem לאסף *Aſapho* & reliqvis ad præcinendum traditos aut dictatos. Sed nondum percipio, cur לאסף minùs in genitivo reddendum qvàm לדויד ut Autorem deſignet. Annon æqvè Aſaphus ac David, dictante Spiritu Pſalmos compoſuiſſe legitur 2. Par. XXIX. 30. ubi pius Rex Ezechias jubet laudare Dominum בְּדִבְרֵי דָוִיד וְאָסָף הַחֹזֶה *verbis vel canticis Davidis & Aſaphi Prophetæ.* Qvod miror curioſiùs non attendiſſe Vatablum, Hopſnerum & cæteros diſſentientes, cum attenderit olim Theodoretus, eos non expertes fuiſſe *prophetici charismatis*, aliamq; inſuper rati-

onem

onem adduxerit, alienam tamen, nempe ex 1. Par. XXV. 1. ſeqq. ubi *prophetare* impropriè ſumendum συνάφεια monſtrat Hiſtoriæ.

XXIII. Deniq; & hoc non ſilendum, ultimam partem Prophetiæ Habacuc. c. III. 1. cantico שִׁגְיֹנוֹת editam eſſe, & qvidem muſicô inſtrumento (בִּנְגִינוֹתָי ait Propheta verſ. ult.) decantatam. Iſtud שגיונות *metrum*, *Muſicam ſive oden erraticam* Tremellius, Junius, Buxtorfius, Druſius interpretantur. Meam ut dicam liberè ſententiam: non dubito fuiſſe carminis Lyrici genus, cujus פסוקים *ſ. Strophæ* varios habuere verſus, Ebr. בתים, ἀνισομέτρους, neq; numerô neq; rythmô ſibi invicem reſpondentes. Nam hæc omnia, uti nunc habet, Ebraico carmini accidunt. Olim autem alia ratio fuiſſe videtur, qvam ſecuti Moſes, David, Salomon & Prophetarum plurimi, & a qva non dubito qvin ad Græcos & Latinos Poetica, maximè Lyrica, dimanârit. Operoſè id indicat Jo. Euſ. Nierenbergius *de orig. S. Script. Lib. XII. c. 5. 6.* Didymus qvidem Alexandr. *in Pſalm. CXXIIX.* citante Nierenbergio, hæſitanter ait: Ἔλεγέ τις τοὺς στίχους ἐμμέτρους εἶναι τοὺς παρ' ἑβραίοις, ἑξαμέτρους μὲν τοὺς ἐν τῇ Δευτερονομίου ᾠδῇ, τοὺς δὲ ψαλμοὺς τριμέτρους εἶναι καὶ τετραμέτρους. Sed major omninò fides habenda Joſepho *Ant. Lib. VII. c. 10.* qvi Davidem docet ᾠδὰς εἰς Θεὸν καὶ ὕμνους συντάξαι μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν. Qvæ Joſephi veſtigia legit Iſidorus ſcribens Pſalterium *nunc jambô currere, nunc elegiacô perſonare, nunc ſapphicô nitere, trimetrô vel tetrametro pede.* Nec obeſt qvicqvam, qvod incertum illud hodie ſit metri genus: nam & in tanta Latinarum Græcarumq; literarum luce ignoramus, qvibus numeris multi Tragici & Comici ſua carmina digeſſere. Genebrardus arbitratur antiqvam Ebraici poëmatis metricam dimen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

dimenſionem intercidiſſe ob crebros miſeræ Gentis motus & exilia, quæ quantum bonis artibus officiant, nimis proh dolor! notum eſt; *Aunot. in R. Dav. Jehaiæ de Poet. Ebr. c. II. p.* 40. Aliorum de hoc שגיון Pſalm. VII. 1. diverſæ opiniones, qvod titulus Pſalmi ſit *de erroribus variisq;* in Autore *mentis diſtractionibus* agentis, cum noſtra hâc pulcrè conciliari poſſe video operâ Gejeri & Tarnovii: nempe oden ejusmodi non unò metrorum genere, ſed ex variè intercurrentibus fortè conſtitiſſe, qvia affectuum vehementia certis legibus ſe non paſſa eſt adſtringi in tanta afflictionum magnitudine, ſed modò huc modò illuc ſaltus veluti qvosdam feciſſe videtur. Atq; huc illud refero a Magiſtris toties decantatum ex *Gem. Maſſ. Schabbath c. 2. Maſſ. Peſachin c. 6. Joma* c. 2. repetitum a Kimchio *in 2. Reg. III. 15.* & 1. *Sam. X. 5.* רוח הקודש אינה שורה אלא מתוך שמחה וגו׳ *Nusqvam Spiritus S. conſiſtit niſi cum mente lætâ & alacri.*

XXIV. Hunc igitur Muſices in ſacris uſum, ſtante adhuc Prophetia, non poſtremum fuiſſe nullus ambigo; ut ſvaviſſimo concentu a curis avocati Vates mentem ὡς ἐν γαλήνῃ qvietam, & turbis vacuam, & cætera bene compoſitam diviniori auræ recipiendæ commodarēt. Lubet niveū addere B. Auguſtini calculum *Prolog. in Pſ. Qvoniam*, inqvit, *Spir. S. videns obluctantem ac reſiſtentem ad virtutis viam humani generis animum, & ad delectationes vitæ hujus magis inclinari, qvàm ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim ſuæ doctrinæ permiſcuit, ut dum ſvavitate carminis mulcetur auditus, divini ſermonis utilitas pariter inſeratur, &c.* Divinam hanc methodum, ut in aliis plurimis (qvod exemplis declarat Juſtinus Martyr *Dial. cum Tryph. p.* 294. 295. *edit. Pariſ.* 1636.) ita hic per κακοζηλίαν viſus eſt imitari Dæmon in Pſeudo-oraculis ſuis cæco Gentiliſmo obtrudendis, ὡς ἐν μέτρῳ

καὶ ὄγκῳ, καὶ πλάσμασι, καὶ μεταφοραῖς ὀνομάτων καὶ μετ' αὐλοῦ, teſte Plutarcho lib. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν. Et pleraq; certè Deorum reſponſa ligata oratione proferebantur. Extat in id apud Tacitum locus *Annal. lib. II. c.* 54. Et apud Lucianum edit. opt. Pariſ. p. 484. 485. inſignis impoſtor Alexander, cujus vita ibidem deſcribitur, oracula editurus circum ſe ſemper habebat tum alios miniſtros, tum qvi verſibus oracula conderent. Hinc Vates Poetæ, & hoc forſan ſenſu Epimenides a Paulo Προφήτης dictus, de qvo ſup. §. V. actum. Qvæ plura heic annotari poſſent, aliis relinqvimus; & plurima habentur lectu digna in nupero Dialogo Ant. Borremanſii *de Poet. & Prophet.* Nos jam manum de tabulâ. Nec verò omnia, quæ vel ad præſentem materiam, vel ad alios Divina oracula conſulendi modos declarandos faciunt, hæc chartarum capere potuit anguſtia. Tantùm egimus de eâ Prophetia, per quam aliquid de Chriſto ſanctis V. T. Patribus innotuit. Atq; hæc deſiit cum Malachiâ qvem חותם הנביאים *Sigillum Propheticum* cum Judæis meritò vocamus; qui ſimul fatentur לא היה נביא בבית שני *nullum fuiſſe ſub Templo ſecundô Prophetam ſuperſtitem* Nizzach. p. 159. ap. *Hotting. Theſ. Philol. l. 2. c. 3. p.* 564. Vid. utrumq; Seder Olam, Rabba & Suta, ubi poſt Malachiam dicitur: באותו הזמן פסקה נבואה מישראל *Eo tempore ceſſavit prophetia ab Iſraele.* & ſic qvoq; R. Saadias Gaon in Dan. IX. v. 24. De Prophetarum autem diverſô ſtilo, præparationibus, veſtitu, collegiis, deq; אורים & תומים vetuſtiſſimô circa graviores Reip. caſus Deum conſulendi modo; item de בת קול voce cælitus emiſſa, quam ſub altero Templo Prophetiæ ſucceſſiſſe memorant Judæi, & cujus aliquot in N. Teſt. veſtigia, agemus aliàs, ſi quæ de iis ſobriè dicta ex lacunis Rabbinicis hauriri poſſunt. Interim hæc ita ſufficiant.

Πάντοτε δόξα Θεῷ!

Syrma Prodromi.

1. *Inter diverſas Philologorum, de divinis τῶν* אורים ותומים *reſponſis, conjecturas, hanc proximam vero judicamus; qvòd Pontifex de rebus arduis conſultus & ἐπιςήθιον ſuum indutus oracula divina per Sp. S. internam illuminationem edoctus ediderit: nec aliter ſe habuiſſe ad revelationem pectorale, qvam ut conditionem reqviſitam, penè qvemadmodum Samſonici roboris non cauſa nec ſubjectum ſed tantummodò concomitans ſignum capilli Ejus. Rejicimus igitur Judæorum figmenta, de literis quibusdam gemmarum vel ſimul vel ſucceſſivè prominentibus, & inſolito fulgore coruſcantibus; ex qvibus Pontificem, qvæ reſponſurus eſſet, collegiſſe ariolantur. Contra Abrabanielem & Maimonid: in* Halacha Cele Hammicdaſch *c.* 10 *& eorundem ſeqvaces: inter qvos haud ultimus Schickardus configuratione gemmarum illuminatarum inter opacas ſpeciem literarum exhibitam opinatur.*

2. *Qvid autem* Urim *&* Tummim *fuerint, hoc tantùm ſcimus nos maximam partem neſcire. Neſcire ſe profeſſus eſt B. Lutherus, & Rabbinorum Princeps Aben. Ezra. Liceat tamen hic nobis eſſe innoxiè curioſis, & inter Eos, qvi qvalicunq; clavi hoc arcanum reſerare conati ſunt, maximè commendare ſententiam Io. Spenceri Angli* Diſſert. de Ur. & Tumm. *qvòd fuerint bini Teraphim intimo pectorali inſculpti, qvorum ſine dubio mentio*

facta

facta Oſ III. 4. ubi Vates minatur, de futura captivis præter ſacrificia & ſtatuam, etiam Ephod & Teraphim. Nam Iſraelitis qvidem id dictum, maximam partem idololatris, ſed tamen ſacra Judæorum non raro æmulantibus & qvibus mixta religio. Unde Ephod cum Teraphim conjunctum, qvi ab uſu dicuntur מגידים נעלמות Raſchio, מגידים העתידות Kimchio, & מחוי annunciantes in Targum. LXX. δήλους & δήλωσιν reddunt, ſicut Urim & Tummim 1. Sam. XXVIII. Exod. XXVIII. Manifeſtius hoc evadit ex Michæ ἐθελοθρησκεία, longè ante fatale ſub Jeroboamo X. Tribuũ ſchiſma; Ejus enim in fano τῶν תרפים, amiculo Ephod additorum, freqvens ad divinandum abuſus gliſcebat Jud XVII. 5. XVIII 5. Qvâ re qvis dubitabit, voluiſſe impiũ Autorem ſacratiſſima τῶν Urim & Tummim oracula per κακοζηλίαν repræſentare. De reliqvo non auſim aſſerere cum Chriſtoph a Caſtro de ver. fut. Cogn. lib. III. c. 3. per imagines iſtas DEUM miniſteriô Angeli reſponſa dediſſe; qvem errorem caſtigavit in Caſtrio B. Dannhawerus Chriſteid. Protheor. hypomn. 1. ad Phænom. 3. p. 33.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1155